








ANTIQVITATUM BOREALIUM
OBSERVATIONES
MISCELLANEÆ.

SPECIMEN TERTIUM.

QVOD

LOCO PROGRAMMATIS

AD

AUDIENDUM D. . ET SEQQ. AUGUSTI

IN

SCHOLA LATINA HAFNIENSI

EXAMEN PUBLICUM

OMNES

REI SCHOLASTICÆ PATRONOS

FAUTORES ET AMICOS

QVA PAR EST OBSERVANTIA INVITATURUS

SCRIPSIT

SCULO THEODORI THORLACIUS,

REGI A CONSIL. JUST. ET SCHOLÆ METROPOLITANÆ RECTOR.

HAFNIÆ MDCCLXXXII.

TYPIS AUGUSTI FRIDERICI STEINII.

ANTIQVITATUM BOREALIUM

OBSERVATIONES MISCELLANEÆ.

SPECIMEN TERTIUM.

DE


HLUDANA

GERMANORUM GENTILIUM DEA.



Cicero, *de Natura Deorum. Libr. I.*

Anaximandri opinio est, nativos esse deos, longis intervallis orientes occidentesqve, eosqve innumerabiles esse mundos. Sed nos Deum, nisi sempiternum, intelligere qvî possumus?



DE

HLUDANA
GERMANORUM GENTILIUM DEA.



§ I.

Jam pridem et hanc alternam Programmata Scholaſtica ſcribendi neceſſitatem, et qvicqvid otii atqve temporis ſeveriora vitæ et officiorum munia faciunt reliqvum, Antiqvitatum Borealium ſtudio conſecrare me ſolitum non diffiteor. Hujus autem conſilii me hactenus adeo non poenituit, ut, cum aliena nobis tanti ſint monumenta, aliqvanti etiam propria et domeſtica fieri nec iniqvum rear nec indecens. Enimvero *Hludanam*, antiqvum Germaniæ numen, tot pri-




fcis Septentrionis noftri diis patriis, qvi amplam fatis, nec inficior, commentandi materiem dare potuiffent, a me præferri forte miraberis. Eqvidem Germaniam, ut locorum fpatiis, ita incolarum numero et potentia nunc et olim celeberrimam, populis, qvos defpicit arctos, proprie accenfendam nullus exiftimo; qvoniam tamen veteribus Germanis, cum gentibus, qvæ magis aqvilonare mundi latus tenuere, mores olim, numina, fermonem aut eadem, aut ejusdem originis fuiffe neminem latet, qui harum nationum exordia paulo curatius obfervaverit, novum utiqve et infolens non habebitur, fi *Hludanam* Deam, cujus memoria dudum intermortua non ita pridem in Germania revixit, Borealium qvoqve numen fuiffe, idqve ex veteri majorum mythologia probari poffe qvis crediderit. Nimirum peculiare illud gentibus arctois fuit, qvod, qvamvis factitios iftos deos coeperint abominari, eorum tamen memoriam diutius retinuerint, nec cum cultu et reverentia priorum numinum, omnem fimul eorundem notitiam exuere

re ſua intereſſe cogitaverint: qvod ſi Sanctioris Religionis initiis forte minus commodum, antiqviori certe hiſtoriæ, qvæ a religione nunqvam bene ſeparabitur, perqvam ſalutare fuiſſe rerum peritus nemo negaverit.

§. II.

Guttam autem mari additurus merito videri poſſem, ſi poſt tot eruditiſſimos viros, qvi germanicas et boreales antiqvitates ſcriptis illuſtrarunt, priſca et gentilia Scandinaviæ numina ab antiqviſſimis, nobiliſſimis et potentiſſimis Germaniæ populis olim culta fuiſſe, operoſe monſtrare vellem. In confeſſo jam dudum et omni fere dubio exemta res eſt, non animales ſolum, ut cum *Voſſio* 1) loqvar, deos, qvorſum ſpiritus bonos malosqve, defunctorum animas, locorum genios et alios referas, ſed et his antiqviores, naturales ſ. phyſicos deos, Septentrionis et Germaniæ incolis fuiſſe communes. Utriqve *Odinum*, *Thorum*, *Frejam* 2) venerati ſunt; nec hos tantum, qvos principes et majorum gentium deos non inepte dixeris,



ſed inferiores qvoqve deos agnovere, *Balderum* nempe, *Forſetium* 3) et alios. Utriqve non ſolum magna mundi corpora, elementa, horumqve virtutes et effectus, ut *Solem, Terram, Ignem, Tonitru* 4) etc. cultu peculiari proſecuti ſunt, verum eadem qvoqve ruſtica numina ſuperſtitioſe crediderunt et reveriti ſunt; ut enim generatim *ſaxorum, fontium arborumqve genios* et *nympas* 5), qvorum veneratio et cultus totum terrarum orbem pervagatus videtur, prætercam, *Alfos, Trollos, Maras, Huldam, Neckum* 6) et plures anus borealis et germanica eosdem etiamnunc agnoſcit ſuſpicitqve; ut in hæc plebejæ credulitatis monſtra, eorumqve nomina, rerum edaci, et qvod harum gentium religionem, imperia, lingvas moresqve adeo dudum mutavit, tempori nihil aut parum licuiſſe mireris. Itaqve ſi rediviva hæc et qvaſi ob orco revocata Germanorum dea *Hludana*, priſcas etiam in Septentrione noſtro ſedes ſibi vindicare voluerit, nil præter fas et æqvum poſtulat; fidemqve habitura videtur, non apud plebem, ſed eruditos. Ex illius enim,

enim, cujus confortium jam dudum afpernatur, tabernis, in mufea doctorum, *Matris Deæ*, *Ifidis*, *Junonis*, et qvicqvid *Confentum Dearum* unqvam fuit, exemplum imitata migravit.

1) vid. G. J. *Voffii* de *Orig.* et *Progr. Idolol. Lib. II. P.* 1. *Cap.* 1.

2) De *Odino* a Germanis culto poft *Pauli Diaconi* teftimonium, (de *Geftis Longobard.* Libr. 1.) nemo ambigit. Sufficit allegaffe verba Celeb. M. G. *Schütze*, in *Sylloge Exerc. ad Germaniam Sacr. Gentil. Exerc. IV.* §. 17. ubi fcribit: "*Cum Odino, principe Septentrionalium Deo ex affe convenit Wodanus, qvem omnes in univerfum Germaniæ gentes verecundius coluerunt.*" Quod, præter *Odinum*, etiam *Thorum* et *Frejam* religiofo cultu profecuti fint, Germani, docet inter alios *Joh. Henr. Falkenftein* in *Antiqvitat. Nordgavienf.* 1. *Theil. III. Cap.* §. *XV.*

3) P. F. Suhm, Om Odin og den Hedniſke Gudelære og Gudstieneſte udi Norden. III. B. §. I. C. V. et VI.

4) vid. *Jul. Cæfaris* de B. G. L. I. Cap. XXI. item *Tacitum de Morib. Germ. Cap.* 40. *Tonitru* autem in *Thoro* venerati funt, hic enim illis erat *Deus fulminans.*

5) *Falckenft.* Libr. et Cap. cit. §. XIV.
Somnia, terrores magicos, miracula fagas,
Nocturnos lemures, portentaqve Theffala rides.

6) Omnia tamen apud *Keyflerum* in *Antiqvit. Sept.* et *Celticis* et alios paffim occurrunt.

 §. III.

§. III.

Fauſtis vero ſub penetralibus nata, vel potius renata eſt Dea *Hludana*, cum, qvod ex ſpiſſis oblivionis tenebris, qvibus jam per aliqvot certe ſecula involuta et qvaſi ſepulta jacuerat, in dias luminis auras iterum emerſerit, acceptum referat inclytiſſimo Naſſoviorum principi, JOANNI MAURITIO (1). Nec naſcenti numini Muſarum obſtetricia defuerunt. Verum accidit hic, qvod in partu præſertim difficiliore fere ſemper aſſolet, nempe ut plus matronalis facundiæ qvam opis genialis ab his Ilithyis ſit præſtitum. Certe in ſuſcipienda et tollenda, cui lucinas horas princeps tribuerat, infante dea eruditis, qvod ſciam, hactenus hæſit aqva. Cæteris tamen melius de illa meritus eſt Vir Ampliſſimus GODOFREDUS SCHÜTZE, qvi, ut eſt in eruendis Germaniæ antiqvitatibus induſtrius et integer, ita reliqvis poſt KEYSLERUM vel ideo felicior mihi ſaltem videtur, qvod cana Septentrionis noſtri monumenta conſulere non eſt dedignatus, iis non ſimilis, qvi faſtuoſo aliorum deſpectu domeſticam

cam

cam penuriam optime diſſimulandam putant. Laudatiſſimus ille vir, ſcripto de DEA HLUDANA, *Topico Germanorum Gentilium Numine*, libello, literatos in partes vocavit, mihiqve inter alios noſçendæ deæ, qvam a Germanis cultam unqvam fuiſſe prius ignorabam, fecit copiam.

1) vid. M. G. SCHÜTZE *Sylloge Exerc. ad Germ. Sacr. Gentilem* ed. Lipſ. MDCCXLVIII. Exerc. I. §. II.

§. IV.

Qvid vero, ceſſantibus aliis, *Hludanæ* ſuæ præſtiterit vir eruditiſſimus, paucis lector accipe. HLUDANAM *deam vix aliunde qvam ex nominis ſignificatione noſcendam* fatetur, *ſeqve ab illis longiſſime abhorrere, qvi in antiqvitatibus Germaniæ eruendis nil niſi romana et græca crepant, libentiſſime vero aſſentiri iis, qvi ad patriam recurrere lingvam ſatius ducunt* 1). *Varias* deinde *nominis* HLUDANÆ *derivationes* affert, *qvas tamen alieniſſimas* ipſe credit 2). Hæc omnia candorem, doctrinam et acumen viri teſtantur. Mox *deſcendit ad planiora*, *ſeqve majorem fidem inventu-*



venturum putat, *si* HLUDANÆ *nomen deduxerit a voce antiqva Svecorum* HLUT, *fors; cui hodiernum Svecorum* LOTT, *Anglo Saxonum* HLEET, HLYT, *Danorum* LOD, *Germanorum* loss, *et Islandorum* HLIOTA *respondeant* 3). *Hinc* HLUDANAM, *Sortium deam et præsidem fuisse, ex indole gentis germanicæ, qvæ sortium conjectioni mirum qvantum indulserit*, satis ingeniose et sagaciter concludit 4). *Alteram* deinceps *interpretationem æqve commodam vocabulum* LEOD *ipsi pollicetur. qvod populum seu homines significat; hoc inferioris Saxoniæ coloni* LUDE *efferunt, Germanis vero communiter* LEUTE *appellare moris est. Cognata*, secundum celeb. auctorem, *est appellatio* LITORUM *et* LIDDORUM *sive* LIDONUM, qvæ *servis convenit. Cognatum etiam Anglo-Saxonum* HLOTH, HLODE, *qvod turmam seu cohortem denotat, qvæ a* VII *hominibus ad* XXXV. *adscendit; uti et* HLOTBOTA, *qvæ mulcta sit a percussore, qvi turmæ illegitimæ interfuerit, solvenda* 5). *Varia porro* affert *nomina propria, tam hominum, qvam locorum, in qvibus* LEOD, LUD, LOTH, *et alia his similia, populum denotent.*

tent 6). *Unde* demum concludit HLUDANAM, *vel a voce* HLUT ſ. LOD, *ſortium deam*, *vel a* LEOT, HLOTH, LUDE, *populi deam eſſe nominatam* 6). Hactenus bene et ſolerter ſuas partes egiſſe cenſendus eſt vir celeberrimus; ubi vero tandem in terminatione vocis, *dan*, qvod priſca Celtarum lingva *præſidem*, vel *tania*, qvod *regionem* ſignificat, inveniri, et hinc *Hludanam*, v. *ſortium præſidem*, vel *loci populiqve deam*, atqve adeo *topicum numen* dicendam credit, vereor ne oeſtro ethymologico percitus extra oleas vagetur 8).

1) vid. libr. cit. §. III. 2) libr. cit. §. cit.

3) Hactenus dicta ſatis ſunt accurata, niſi qvod vocem *bliota* ſubſtantivum nomen credidiſſe autor videtur, cum revera ſit infinitivus verbi *ec blyt*, *ſorte accipio*. Sed vox *blut*, island. *blutur*, qvam Svecos ſcriptores ſecutus ſvecicam credit, vox eſt islandica, ſive, qvod rectius, nec iſlandica, nec ſvecicá, ſed vox lingvæ borealis antiqvæ, qvæ priſca *Danorum lingva* multis ſcriptoribus, etiam multo ante tempore, qvam Norvegia et Islandia ſub Danica ſceptra conceſſit, appellata eſt. De hoc eruditiſſima commentatio, in *Vita Gunnlaugi Vermilingvis*, Hafniæ 1775 edita, conſuli poteſt. Hinc, *at blutaz um*, ſortes conjicere. Vox *blutur* ſignificat, I. inſtrumentum,

tum, subinde magicum, qvo majores sortiri solebant, qvo significatu occurrit in *Vatzdalensium Historia*, nondum edita. Hic vocis significatus ipsi Viro Celeb. haud fuit ignotus, cum amuleta et talismanos ad vocem *hlut* referat. §. IV. II. *hlutur* est pars, qvæ singulis prædando, venando, piscando, vel qvomodocunqve sortito obtingit; huc referas *hlotu*, *præda*, apud Lipsium. Ep. 44. Cent. III. vid. SCHUTZ l. cit. Hic vocis significatus in Islandia hodieqve usitatissimus est, et in Jure Dan. *lod*, *broderlod*, *systerlod* etc. est pars hæreditatis, qvæ singulis obtingit. III. *hlutur*, Islandis generaliter *rem qvamlibet* significat, et Danorum voci *Ting*, Germanorum *Ding*, respondet.

4) vid. Lib. cit. §. IV.

5) vid. Lib. cit. §. V. Afferri meretur locus ex legibus antiqvis Cap. 13. (apud DU FRESNE. in Lexico ad vocem *hloth* v. *hlode*, qvæ Anglo-Saxonibus *turma*, *cohors* dicitur). FURES *nominamus usqve ad 7 homines: a 7* HLOTH, *id est cohortem vel satellites, usqve ad 35. deinceps* HERE, *id est excercitus.* Vocem hanc Anglosaxonicam *leod*, borealibus etiam in usu olim fuisse, monstrat tum *leodbiscup*, qvod nomen apud *Snorronem* in *Heimskringla* Episcopum provincialem s. suffraganeum, metropolitano s. Archiepiscopo contradistinctum denotat; tum *Scalda* inedita, cujus autor voces *leod*, *lydur*, et *populum* et *servos* significare docet, et porro XII milites, *togleod*, C. autem et supra *her*, i. e. *exercitum* appellat. Qui locus omnes vocis *leod*, notiones a Celeb. *Schütze* allatas, nempe qvod *leod* 1. *populum* 2. *servos*, 3. *certum militum numerum* scil. *a 7 ad 35.* (in

(in qvo eſt XII.) autori *Scaldæ* cognitum fuiſſe ſatis oſtendit. *Scalda* porro *milites* in genere *lionar* vocat; *lionar* vero et *liodar* eandem eſſe vocem credo, qvomodo *mudur* et *munur*, *os*, et alia, promiſcue apud antiqvos ſcribi ſolent; unde *lionar* milites a ſæpius jam dicto anglosaxonico *leod* derivandum non dubito.

6) vid. Libr. cit. §. VI. 7) vid. Libr. cit. §. VII.

8) Etymologiam, doctos ſæpe viros in vertiginem egiſſe, vel ipſe ſuo exemplo monſtrat *Voſſius*, dum vel *Alpes* ab *Al op*, *plane ſurſum*, vel *Danos* a *Wodan*, qvod idem ac *Odin*, denominatos putat. *De Or. et Progr. Idol. Libr.* 1. *Cap.* 36 et 37. Nec Sphingis ænigmatibus par fuiſſe videtur *Barthius*, qvi *Wodanum* ab ebrietate *Vuldanum* dictum exiſtimat. *Adverſ. Libr.* 59 c. 9.

§. V.

Illa fere ſunt, qvæ de *Hludana* dea in medium protulit Vir Ampliſſimus, cujus laudibus tantum abeſt me qvicqvam detractum velle, ut ſuis eum partibus impigre nec infeliciter functum ingenue fatear. Qvandoqvidem enim, qvænam fuerit dea *Hludana*, non aliunde qvam ex nominis ſignificatione elici poſſe ſibi perſvaſit 1), nihil certe omiſit, qvæ a viro erudito qvidem, ſed ab omnibus, qvæ huc faciunt, monumentis et ſubſidiis



ſidiis, qva mythologicis qva hiſtoricis, deſtituto, et in doloſo etymologiarum labyrintho *Hludanam* indagare coacto, poſtulari jure poſſunt. Si igitur rem acu vir doctus non tetigit, id non ſuæ culpæ, ſed ſubſidiorum inopiæ imputandum æqvus qvicunqve judicabit.

1) vid. §. XV.


§. VI.

Non is ego ſum, qvi me viris doctiſſimis, qvibus hactenus ignota fuit dea *Hludana*, acutius cernere putem; ad mythologica autem veterum Borealium penetralia, ubi non Septentrionis ſolum noſtri, ſed et Germaniæ qvoqve priſca deliteſcunt numina, mihi forte facilior qvam illis patuit aditus, cum huc ſpectantia majorum monumenta, vel pleraqve vel optima, lucem publicam nondum adſpexerint. Qvoniam igitur in ejusmodi rebus cuivis libere ſentiendi relinqvitur arbitrium, mea jam de hoc Germanorum gentilium numine cogitata palam exponere mihi nec erit fraudi, nec ultra differendum. Nimirum,

mirum, ut ego qvidem opinor, dea HLUDANA eadem *eſt* qvæ TERRA, adeoqve *non Topicum, ſed Princeps olim Germaniæ Numen.* Cur ita crediderim, niſi qvid te detinet, audi.

§. VII.

Huc ſpectantia majorum monumenta dum memoro, *Eddam* intelligo utramqve. Harum antiqvior illa eſt, qvæ *Sæmundiana* vulgo vocatur, cujus duæ tantum Odæ jam dudum, tertia ante paucos hos annos typis vulgatæ ſunt; integri autem voluminis editionem fauſtis jam ominibus propediem prodituram harum rerum cupidis gratulari poſſumus.—Illam vero mythologiæ borealis collectionem profundiſſimæ antiqvitatis reliqvias, qvanumvis laceras, perturbatas et inter ſe confuſas continere, viris eruditiſſimis jam pridem obſervatum. — Altera junior eſt, qvæ ab hiſtoriæ Norvegicæ, qvæ *Heimskringla* dicitur, luculentiſſimo autore *Snorrio Sturlæſonio*, *Edda Snorriana* dicitur. Hæc duas partes complectitur, qvarum prior mytholo-



gica, a P. J. *Resenio* edita, qvæ et peculiari nomine *Snorii Edda* appellari solet, eoqvod ejus autor sit *Snorrius*; posterior veterum poëticen continet, et inde *Skalda* nominatur, nondum publici juris facta. *Skaldam* ab *Eddis* alii distingvunt, qvod utiqve non magni interest. *Sæmundiana* illa deorum et heroum genus, facta, imo interitum exponit, ligato qvidem sed pervetusto dicendi genere, qvæ ob voces obsoletas et res mysticas ac allegoricas, qvibus plena est, tanta qvibusdam in locis obscuritate laborat, ut harum rerum peritissimis vix, ac ne vix qvidem superabile facessat negotium, totius tamen mythologiæ, ne dicam antiqvissimæ, qvæ superest, historiæ borealis ultimus fons et origo merito dicenda. Hanc *Sturlæsonius* in fabulas digessit, stylo soluto et perspicuo conscriptas, eo haud dubie consilio, ut carmina veterum et facilius intelligere, et imitari felicius juniores possent poëtæ; unde antiqvioris *Eddæ* carmina *Snorrii* jam tum ætate subobscura videri coepisse, siqvis

con-

concluſerit, non pervicacius refragabor. *Skalda* deniqve, ſive *Snorrio*, ſive ejus ex fratre nepotibus *Sturlæ* vel *Olafo* 1), ſeu aliis tribuenda ſit, nunc non inqviro, *Sæmundianam* et *Snorrianam* mythologiam ad certas poëtices regulas redigit et revocat; qvos canones non dictis modo *Eddis* ſuperſtruit, ſed et aliorum, qvi tum principes cluebant, poëtarum exemplis et auctoritate firmat et illuſtrat. Illud vero de *Skalda* hac obſervari meretur, qvod deorum dearumqve nomina et appellationes, ut alia taceam, in illa paſſim occurrant, qvorum fundamentum et ratio in *Snorrianis* fabulis, et collectione carminum *Sæmundiana* fruſtra qværuntur; qvæ ſatis arguunt, tum *Snorrii* opus mythologicum minime perfectum aut abſolutum fuiſſe, tum mythologica veterum carmina omnia vel nunqvam collegiſſe *Sæmundum Oddenſem*, vel, ſi collegerit, multa dudum deperdita ætatem non tuliſſe. Verum utcunqve res iſta ſe habet, *Edda* hæc utraqve et *Skalda* *Terram* deam, qvam priſcos Germanos

in commune coluiſſe poſt *Tacitum* nemo dubitat, antiqvorum etiam Borealium aliqvando numen fuiſſe multis locis teſtatur. Neqve hoc ſolum, ſed majores noſtros *Terram* deam HLODYN, ſ. HLODIN, (utroqve enim modo ſcriptum reperitur), appellaſſe, locis ex *Eddis* et *Skalda* adductis, infra monſtrabitur. Priſcam igitur hanc *Hlodynam* borealem cum germanica recentius inventa dea *Hludana* unam eandemqve eſſe, ut crederem dicta *Eddarum* et *Skaldæ* loca me induxere; tantaqve hæc opinio veritatis ſpecie mihi ſe hactenus commendavit, ut huic qvalicunqve ſcriptioni argumentum ſuffecerit.

1) Qvi de Eddarum et Skaldæ autoribus, nempe *Sæmundo*, *Snorrio*, *Sturla* et *Olafo*, qvi ob eruditionem patriæ et ævi ſui lumina dici merentur, noſcere plura cupit, conſulat velim *Heimskringlæ T. I. Præfat.* Et *Finni Johannæi Hiſtor. Eccleſ. Islandiæ Tom. I. Per. II. Sect. I. Cap. II.* §. 11. 15. 19. 20.

§. VIII.

Sed præmetuo, ne ad *Eddæ* nomen perhorreſcat lector et naribus utatur. Audire

dire mihi videor non ſine ſtomacho obmurmurantem: A tetra illa gerrarum farragine ſua numina Germania mutuabitur, ſcilicet! Ad hypogea borealia et colos aniles, qvibus aptior, *Edda* redito, nec veteri Germaniæ deos deasqve mittito, qvos auguſtiores Roma propior, Hellas vel Thracia dare potuiſſent, ſi exoticis fuiſſet opus!

Ut matrona meretrici diſpar erit atqve
Discolor, alba nigræ diſtat *Hludana Hlodinæ!*

Verum ehodum ſodes! Pacem et diludia poscit *Edda* noſtra; et molliores deinceps aditus nacta minus forte displicebit. Interim Theſſalida illam cum *Hannemanno* 1) credere noli. Et ſi fatidica fuerit, omnibus, qvicqvid unqvam *Sibyllarum* fuit, utiqve præferenda eſt: reliqvis certe vivacior carmina foliis non mandavit, ventorum flabris diſſipanda. Sed, ut abſint joci etiam liberales, priſcos deos nec boreales nec germanicos *Edda* fecit aut commenta eſt, ſed eorum qvalemcunqve me-

moriam atqve notitiam conſervavit, et ſervatam transmiſit ad poſteros. Sane neqvis ſuſpicetur hos deos, et eddicas de iis relationes, aut in Islandia, qvæ ſeculo poſt Ch. n. IXno jam adultiore coepta eſt habitari, effictas eſſe, aut ex *Sæmundi Oddenſis*, qvi Ao. MLVI natus eſt, aut ex *Snorrii Sturlæſonii*, qvi Ao. MCCXLI deceſſit, cerebro fluxiſſe, eos qvæſo autores conſulat, qvi ex ſcriptis extra Septentrionem conſignatis, et his duumviris longe antiqvioribus abunde probatum dederunt, *Eddis* memorata numina in Germania paſſim, in inſulis Britannicis, in Moſcovia, Dania, Svecia et Norvegia iis temporibus culta fuiſſe, qvibus ſeptentrionis hæc inſula, Iſlandiam puto, non homines, nedum literatos aut mythologiarum autores habuit. Itaqve, qvodſi *Vandali* et *Longobardi*, gens germanica *Straboni* et *Tacito* memorata, ante ſeculum VItum, qvo a *Narſete* evocati in Italiam deſcenderunt, *Odinum* et *Fream*, qvodſi, inqvam, *Saxones*, *Svevi*, *Leuticii* et alii 2) Germaniæ populi, *Odinum*, *Thorum* et *Fream*, temporibus

bus feculo IIXvo anterioribus, non tantum coluerunt, verum etiam iisdem, qvibus in *Eddis* vocantur, nominibus appellarunt, qva fide et fronte *Odini* uxor et *Thori* mater *Hlodyna*, mariti et filii veneratoribus Germanis olim incognita ftatui, et, qvippe cujus notitia in *Eddis* et *Skalda* tantum fupereft, ideo poenitenda et ad ignobilium ac mere fictitiorum numinum claffem deprimenda dici posfit, non video; cum tamen contrarium *Hludanæ* Germanorum deæ *infcriptio Clivenfis* 3) vel fola demonftret.


1) *Heimskr. T. I. Præfat. pag. X.* edit. Hafn.

2) vid. P. F. Suhm *om Odin*, og *den Hednifke Gudelære I. Bog. I. Cap.* §. XV, XVI. et II. B. I. C. §. X.

3) vid. celeb. *Schütze* fupra laudat. *Exercit.* de *Dea Hludana.* §. II.

§. IX.

Crediderim tot ipfius Germaniæ numinibus feqveftris, *Odino* nempe, *Thoro*, *Frigga*, *Frejo* et *Freja*, qvos, licet eddica numina, a nobiliffimis et antiqviffimis Germaniæ populis culta fuiffe, indubiis fcriptorum

teſtimoniis a viris eruditiſſimis demonſtratum eſt 1), in gratiam cum lectore *Eddas* nostras rediiſſe. Qvominus porro *Hlodynæ* eddicæ officiat, et venerando eam Germanorum deorum concilio prohibeat præconceptus et nimis forte ſuperciliofus *Eddarum* contemtus, unicum afferam exemplum; qvo conſtet *Eddæ*, ſaltem antiqvioris, ubi de priſcis Germaniæ diis agitur, auctoritatem non usqveqvaqve ſperni aut vilipendi debere. Ex *Alcuino*, ſcriptore Ao. Ch. CCMIV morruo, et alio anonymo, qvi vitam *Sancti Ludgeri*, Ao. CCMIX mortui, monſtravit *Illuſtriſſimus* SUHMIUS, Vir in Hiſtoria et Antiqvitatibus patriis ſuo merito princeps, Saxones antiqvos deum coluiſſe, dictum *Foſete*, a qvo Saxonum olim, nunc Danorum inſula, qvæ *Adamo Bremenſi Farria* 2) vocatur, hodieqve *Heiligland*, i. e. *terra ſancta*, nomen traxerit; eoqvod inſula illa huic deo olim ſacra fuerit, et templum dei habuerit, qvod Ao. CCMLXVI in monaſterium converſum. Saxonum hunc deum, qvem memorant ſcriptores, *Eddarum* noſtrarum autoribus *Sæmundo* et *Snor-*

Snorrio III integris ſeculis antiqviores, nihil aliud eſſe, qvam eddicum numen *Forſete*, *Balderi* nempe ex *Nanna* filium, cujus *Edda Snorr. fab.* XVI. *Edda* vero *Sæmund.* in Carm. *Grimnismál ſtr.* XV. meminit, tanta veritatis, qvantam id genus res capere poſſunt, ſpecie concludit Vir *Illuſtriſſimus*. Hunc vero deum fingere, aut aliis gratis obtrudere Iſlandorum *Eddæ* non potuere, utpote ipſo deo longe juniores; ejusdem tamen reſtituerunt notitiam, qvem autorum ignorantia nunc in *Foſtium*, nunc in *Odinum*, nunc, ſexu qvoqve mutato, in *Veſtam* converterat, et neſcio qvam miſello numini inductura tandem formam fuiſſet, niſi ulteriorem metamorphoſin *Eddæ* ſtitiſſent. Qvæ omnia in laudatiſſimi autoris incomparabili de *Diis Borealibus* opere planius videri poſſunt 3).

1) Illuſtriſſ. SUHMII Libr. ſupra cit. §. cit. item. *II Bog* II. Cap. §. I. et III. Bog II. Cap. §. II, III et V. nec non FALCKENST. *Antiqvitat. Nordgav.* I. Theil. III. Cap. §. XIV. et XV.

2) *Ad. Bremenſis Farria*, ſi nomen reſpicias, inſulæ *Föer* ſimilior videtur, qvam inſulæ *Helgeland*, ſed propter ſitum alia vix eſſe poteſt, qvam *Helgeland*.

3) vid. *Libr. cit. II. Bog. II. Cap. §. VI.*



§. X.

Ut autem ad *Hlodynam* redeamus, inftituti rationibus optime confulturi nobis videmur, fi primum *Terram* a Borealibus numinis loco habitam, deinde hanc ipfam *Hlodynam* a veteribus olim dictam fuiffe monftraverimus; et illinc porro probatum dederimus, Borealium *Hlodynam*, cum Germanorum *Hludana* idem fuiffe numen, atqve adeo *Hludanam* f. *Hlodynam* nihil aliud effe, qvam *Terram* deam, a temporibus inde remotiffimis Borealibus æqve ac Germanis cultam. Qvibus perfuncti, de nominis *Hlodynæ* f. *Hludanæ* origine et fignificatu, qvæ tempus et res permiferint, commentabimur.

§. XI.

Qvoniam igitur ad *Eddarum* et *Skaldæ* auctoritatem fupra 1) provocavimus, tempus jam eft, ut qvalem illæ *Hlodynæ* deæ notitiam fufpeditent, difpiciatur. Ita vero *Edda Snorriana* 2). "*Kona Ódins var Frigg Fiörgvins dóttir* i. e. *Uxor Odini erat Frig-*


ga Fiörgvini filia." Et paulo poſt: "*Jördin var dóttir hans, oc Kona hans, af henni giörai hann hinn firſta ſunin, Þat er Aſa Þór.* i. e. *Terra erat filia ejus et uxor, ex qva procreavit primum filium, nempe Aſa-Thorum (Thorum Aſæum).*" Alio deinde loco, poſtqvam *deas* ſingulas *Aſæas* enumeravit et deſcripſit, hæc verba ſubjungit 3). "*Jörd módir Þórs, oc Rindur módir Vala, erv taldar med Áſynivm* i. e. *Terra mater Thori, et Rinda mater Valii deabus Aſæis annumerantur.*" Hæc *Eddæ Snorrianæ* loca ſatis oſtendunt, tum qvod *Terra* inter deas Borealium locum qvondam habuerit, principisqve dei *Odini* et filia et conjux fuerit credita, tum qvod, etſi *Frigga* primaria *Odini* uxor dicta ſit, prima tamen ejus conjux habita fuerit *Terra*, primi qvippe *Odini* filii, nempe *Thori*, mater.

1) vid. §. *VII.* 2) vid. *Fab. VII.*
3) vid. *Fab. XXXI.*

§. XII.

Anteqvam longius progrediamur, non abs re erit nonnulla, qvæ eddicum *Odinum*,

numen



numen certe ænigmaticum, ejusqve uxores, *Friggam* et *Terram* ſpectant, monuiſſe. Sciendum igitur ſub *Odini* nomine triplicem majores Deum coluiſſe; nempe I. *Verum Deum*, II. *Solem* v. *Ignem*, et III. *hominem*. Primus ille verus Deus, *Edda Snorrii* docente 1), eſt *rerum omnium conditor, gubernator et dominus, animæ humanæ, qvæ et ipſa immortalis, creator, bonorum hominum poſt fata remunerator, et malorum punitor, ante creatum coelum et terram inter* HRIMTHUSSOS *verſatus*. Hanc primi Dei notiooem, qvæ in *Eddæ Snorr. Fab. IIda* et *IIItia* totidem fere verbis habetur, et cui parum falſi, fecis vero idololatricæ, ſeqvioribus annis enatæ, nihil admixtum video, *Religionis* majorum *Patriarchalis* et *Japheticæ* reliqvias non immerito dixeris. Circa qvæ ſeqventia velim obſerves.

I. Veri Dei nomen ADON ſ. *Adonai* in nomine *Odin* apud qvosdam *Japheti* poſteros, qvi nempe in loca mundi borealia progeniem ſparſere, ab ultima inde antiqvitate conſervatum; non magis miror, qvam qvod alterum JEHOVA in antiqvo Græcorum et Latinorum

tinorum *Jao* et *Jove* ſuperſit 2), qvod nemo mythologias gentium paulo penitius rimatus, temere negaverit.

II. *Unum* verum Deum veteres primo crediдiſſe, et nomen *Alfadir*, i. e. *Omniparens* ſ. *Pantopater*, et nominis explicatio eddica ſatis docet, cum reliqvorum omnium deorum ſupremus atqve antiqviſſimus, et rerum omnium creator expreſſe dicatur.

III. Utrum *unum* hunc Deum, ſimul *trinum* crediderint veteres *Japheti* poſteri, idqve ex eddico illo trino, et ternis ſoliis inſidente Deo, cui tria nomina HÁR *Altus*, JAFNHÁR *Æqve altus*, et ÞRIDI *Tertius*, *Edda* tribuit, utrum, inqvam, hinc *Trinitas* unius Dei majoribus credita et cognita evinci poſſit, dubitari prudentius qvam negari exiſtimo. Rem per ſe parum vero ſimilem id eſſe fateor. Notari tamen meretur, *Snorrium*, ut hominem Chriſtianum, hæc majorum de Deo opinionibus non affinxiſſe, qvod et cum fide viri non conſiſtit, et aperte falſum eſſe aliunde monſtrari poteſt. Nam in antiqviſſimo *Eddæ Sæmundianæ* Carmine, *Grimnismál*

nismál, ſingula et eadem hæc tria nomina ſibi tribuit *Odinus:* nempe *ſtr.* XLV. *Þridi* et *Hár*, *ſtr.* vero XLVIII. *Jafnhár*, ſe appellat. Alia vero eſt qvæſtio, qvam nondum qvoqve decidere volo, utrum ſcil. *Hár Jafnhár* et *Þridi*, cum *Böri* filiis, qvos *Edda Snorrii*, *Fab.* v. *Odin Vili* et *Ve*, *Edda* vero *Sæmundi*, in Carmine *Völuſpá*, *Odin Hænir* et *Lodur*, nominat, iidem ſint habendi. Iſte ſaltem *Eddarum* circa *Böri* filiorum nomina diſſenſus, indicio eſt, veterum de his hominis formatoribus traditiones, eo, qvo ſcriptæ ſunt *Eddæ*, tempore jamtum variaſſe. Sunt deniqve, qvi *Hár Jafnhár* et *Þridi*, ſive trinum Deum, ſive tres deos, ſeu tria tantum ejusdem Dei nomina ſignificent, tres illos Septentrionis deos principes, nempe *Odinum*, *Thorum* et *Frejum* indigitare credunt, qvorum ſententiæ id vel maxime adverſari videtur, qvod nomina, *Hár Jafnhár* et *Þridi*, in utraqve *Edda* et *Skalda*, uti et in veterum, qvæ ſuperſunt carminibus, ſoli ſemper *Odino*, nunqvam autem *Thoro*, vel reli-

reliqvis diis tribuantur. Contrarium exemplum ſi monſtrari potuerit, facile diſſentientibus concedam.

IV. Obſervatu qvoqve dignum eſt, *Eddam Snorr. Fab. III.* referre, *Omniparentem* illum Deum, anteqvam exſtitiſſet coelum et terra, inter Hrimthussos verſatum fuiſſe. Si per hos *Hrimthuſſos* intelligas aliorum Ethnicorum *Chaos* antemundanum, ſive materiam mundi chaoticam, patet majores noſtros crediditſſe, mundum qvidem a Deo formatum, ſed *non ex nihilo* productum; qvæ opinio mythologis et philoſophis ethnicis familiaris fuit et communis, qvos, niſi fallor, omnes *mundi creatio ex nihilo latuit* 3). Eorum autem ſententia, qvi *Hrimthuſſos* hoc *Eddæ* loco volunt eſſe *homines antediluvianos*, mihi qvidem vero minus ſimilis videtur.

1) Verba *Eddæ Snorrianæ*, jam dudum typis vulgatæ, huc transſcribere non opus eſt. Satis illa ſuperqve monſtrant, ipſam qvoqve *Eddam*, qvæ idololatriæ borealis liber qvaſi ſymbolicus haberi meretur, docere, antiqviſſimam majorum noſtrorum gentilium religionem minime fuiſſe idololatricam, ſed *Omniparentem*



tem, *Eddæ* deſcriptum, verum eſſe Deum, cum *Böri* filio, et reliqvis, qvi illi ſuffecti ſunt, *Odinis* minime confundendum. Qvæ qvidem opinio, a majoribus transmiſſa, vel in ſpiſſiſſima ſuperſtitionis caligine, ad introductæ uſqve Religionis Chriſtianæ initia, inter Boreales exſtirpari penitus nunqvam potuit. De his plura vid. in *Illuſtriſſ.* SUHMII ſupra laudato opere *I. Bog. I. Cap. §. III.* et *Bartholini. Antiqv. Dan. Libr. I. Cap. VI.*

2) Hæc deorum gentilium nómina a tetragrammato Judæorum *Jehova* originem traxiſſe, docet memorabile *Apollinis Clarii Oraculum* apud *Macrobium*, L. I. *Sat.* Cap. XVIII. ubi conſulentibus reſpondit *Apollo: omnium ſupremum Deum eſſe* JAO, *hieme qvidem Plutonem, et Jovem vere incipiente, et Solem æſtate, autumno autem feſtivum* JAO *dicendum* vid. *Voſſ.* de Or. et *Progr. Idololatr. L. II. Cap. XIV.*


3) Creationem ex nihilo ignoraſſe omnes veterum theogonias, imo philoſophos gentiles, nemo temere negaverit; qvod evidenti eſt argumento, hoc dogma ſoli revelationi divinæ deberi. Cæterum Ægyptiorum, Phoenicum et Græcorum theogonias qvod attinet, vid. *J. Bruckeri Hiſt. Crit. Philoſoph. P. II. L. I. §. XXVII.*

§. XIII.

Qvod aliis gentibus, id majoribus qvoqve noſtris accidit, ut ſcilicet veri Dei cultum et venerationem ad mundi partes majores et elementa ſenſim transtulerint. Hinc

Omni-

Omniparentis Dei obliti, *Solam*, *Lunam*, *Terram* et alia coeperunt adorare. Antiqvissimum hoc idololatriæ genus et polytheismi origo in totum qvondam terrarum orbem imperium exercuisse videtur. *Solem* igitur f. *Ignem*, ut princeps hac ætate numen, *Omniparentis Odini* nomine et cultu dignati sunt boreales. *Terram* sub *Hlodynæ*, *Fiörgynæ* et forte aliis nominibus coluere. *Lunam*, qvam in progignendis tam terræ germinibus, qvam hominibus et reliqvis animantibus, occultas crediderunt habere vires, a foecunditate *Frejum* et *Frejam* nominarunt 1); eo qvidem similes Græcis et Romanis, qvi *Lunam* f. *Dianam* parturientium deam fecere. Jamqve ex *Odini* cum *Hlodyna* connubio, hoc est, ex *Solis* et *Terræ* commercio, *Thorum*, i. e. *Fulminis deum* ortum dixerunt, eoqvod calorem solis et vapores terræ fulminis caussas existimarent. Famosus enim *Thori*, borealium *Jovis fulminantis*, malleus *Miöllnir*, saxa rupesqve et qvævis obvia contundens et penetrans, qvid qvæso aliud est, qvam sisti nescia fulminis efficacia, *Jötnis* et *Trol-*



lis, i. e. non immaniſſimis ſolum hominibus, ſed et ipſis qvoqve dæmonibus et geniis terribilis 2)?

1) De hoc myſtico Borealium cultu, qvo *Sol*. *Odinus*, *Fulminis vis* *Thorus*, *Luna*, foecunditatis numen, *Frejus* et *Freja*, crediti ſunt, qvæ apud alios ſparſa, ſumma, qva ſolet, eruditione collegit, et hinc nobis omnium inſtar erit Illuſtriſſ. Suhmius, *Libr. cit*. *I. B. I. C.* §. *VI.* et *II. B. I. Cap.* §. *I.* ſeqq. item *II. B. II. C.* §. *I.* et *III. B. II. C.* §. *V.*


2) Eddicus ille *Thori* malleus *Miöllnir*, *Jötnorum Trollorumqve* terror, haud dubie originem dedit priſco illi in lingva Danica adagio: Var Torden ikke til, blev Verden fuld af Trolde.

§. XIV.

Tandem naturales iſtos deos hominum cultus excepit. Ut enim qvis vel potentia et tyrrannide formidatus 1), vel propter inſignia facta et beneficia dilectus 2), vel occultiori ſcientia et calliditate mirabilis fuit 3), deus vel vivus vel mortuus haberi coepit. Tales *Odinos* vel tres, vel forte plures, majores noſtri habuere. Qvin autem homines fuerint, qvi ſub *Odini*, *Thori*, *Frejiqve* nomi-

nominibus in Septentrione olim culti ſunt, qvicunqve, præter *Eddas*, *Saxonis* et *Snorrii* ſcripta legerit, dubitare non poterit. Tam callide vero rationes ſuas inſtituerunt illi homines, qvi vel ſibi ipſis vel aliis divinum honorem arrogarunt, ut priores deos, cum præſentibus eosdem eſſe, et humana forma inter homines verſari, rudi plebeculæ perſvadere niterentur. Hinc antiqviorum deornm nomina vel novis impoſuerunt, vel ſi viderent hoc minus habiturum fidei, novo deorum collegio priores immiſcuerunt; unde factum, ut *Sol* et *Terra* in *Edda Snorrii* deabus qvidem annumerentur, ſed, ut videtur, minoribus 3). Hæc *triplicis Odini* obſervata, et in eodem *Odino homine* confuſa diverſitas qvibusdam, qvæ in mythologia eddica obſcuriora, imo pugnantia videntur, haud modicam affundit lucem. Scilicet, *Terra Odini* et *filia* et *conjux* in *Edda* vocatur: nimirum antiqviſſimi *Omniparentis Odini filia* qvodammodo dici potuit, a qvo qvippe cum reliqvis omnibus rebus creata et efformata credebatur 4); medii autem *Odini*, nempe *So-*

lis



lis conjux, *Thoriqve mater* eſt habita, ob rationes §. XIII. allatas, Ubi vero priorum *Odinorum* nomen cultusqve ad hominem deſcenderat, *Odini* jam hominis uxor *Frigga*, et ipſa homo, in dearum conſeſſu primas obtinuit, *Terra*, ut dea vetuſtior et obſoleta, ſimul cum *Sole* et *Luna*, deorum qvidem concilio non penitus excluſa, ultimum tamen locum occupare coacta eſt; auditqve jam *Odini* dei non legitima amplius uxor, ſed vel ſecundaria conjux, vel pellex qvaſi fortuita. Fatum haud abſimile expertam novimus *Latonam*, qvæ, ſi *Juno* non tam imperioſa et Zelotypa fuiſſet, certe ut *Apollinis* et *Dianæ* mater, *Jovis* non concubina, ſed uxor dici coliqve meruiſſet.

1) Horſum pertinet illud *Petronii: Primus in orbe deos fecit timor.*

2) Huc illud *Horatii* referas:
Romulus et Liber pater, et cum Caſtore Pollux,
Poſt ingentia facta deorum in templa recepti.

3) Abſtruſiorum artium cognitione et aſtuta vafritie Boreales circumveniſſe, atqve divinitatis opinionem et cultum non modo captaſſe, ſed et obtinuiſſe *Odinum hominem*, teſtis eſt *Saxo*. *Hiſt. Dan.* C. I. p. 12.

12. 13. et *Snorrius. Heimskr. T. I. Ynglinga Saga C. II. VI. et VII.*

4) vid. §. XII.

§. XV.

Qvod *Terra*, *Odini* conjux *Thoriqve* mater, Borealium dea fuerit, ex *Snorrii Edda* ſupra probavimus 1). Eandem porro myſtico nomine *Hlodynam* dictam olim fuiſſe, ex *Skalda*, *Edda Sæmundi* et plurimis veterum poëtarum carminibus adeo conſtat, ut unum alterumqve locum attuliſſe ſufficiat. Ita vero *Skalda* 2) in *appellationibus Terræ poëticis: Jörd ſçal kalla Hlodyn, Fiörgyn, Kiöllun* etc. — *brudi Odins, módur Þórs, dóttur Onars* (*al. Onakrs*), *eliu Friggar Rindar oc Gunnladar, ſværu Sifiar, dóttur Náttar, Syſtur Auds oc Dags.* ɔ: *Terra dicenda eſt* Hlodyna, *Fiörgyna*, *Kiölluna*, etc. item: *Odini conjux, Thori mater, Onari* (al. *Onacri*) *filia, Friggæ Rindæ et Gunladæ pellex* (*couxor*), *Sifæ ſocrus* 3), *Noctis filia, Audi* (ɔ: *Ditis* ſ. *Plutonis*) *et Diei ſoror* 4). Singulas has *Hlodynæ* ſ. *Terræ* deæ appellationes poëtarum auctori-

toritate et exemplis autor *Skaldæ* ſuffulcit. Hic *Skalda* magnum theogoniæ borealis, qvo utraqve *Edda* laborat, defectum ſupplet, et dum *Hlodynam* et *Terram* idem numen eſſe palam docet, *Hlodynæ* porro reſtituit, non maritum modo *Odinum* et filium *Thorum*, ſed parentes qvoqve, ſcilicet patrem *Ónarum* v. *Onacrum* 4), et matrem *Noctem*, imo fratres, *Ditem* ſ. *Plutonem* et *Diem* 5). Genus ſane lepidum et *Hludanæ* deæ non inficiandum! *Hlodyna* igitur et *Terra* duo ſunt unius deæ nomina, hoc nempe qvotidianum et populare, illud myſticum et mythicum, qvemadmodum *Terram* Ægyptii, Græci, Latini *Iſidem*, *Cybelen*, *Rheam*, *Veſtam*, *Opem* et aliis nominibus myſticis appellarunt.

1) vid. §. XI.

2) Hujus Cod. Membraneus *Legati Magnæani* in fol. No. 242, præter alios chartaceos, mihi nunc eſt ad manus.

3) *Frigga*, *Rinda* et *Gunlada*, ſecundum *Eddas*, *Odini* fuere conjuges, hinc *Hlodyna* earum pellex dici potuit. Porro SIFA *Thori* fuit uxor, hujus adeoqve ſocrus fuit *Hlodyna*. Cum autem conſtet *Sifam* a Germanis gentilibus olim cultam fuiſſe, qvid mirum, ſi cum nuru ſocrus *Hlodyna* ſ. *Hludana* Germanorum qvoqve dea fuerit. De *Sifa* Germ.

Dea

dea vid. *La Mythologie* les *Fables*, par Banier. *T. V. L. VII. C. VI.* et *Falckenst. Antiqv. Nordgav.* I. Th. III. Cap. §. XVI.


4) *Onarum* hunc, Noctis maritum, *somnum* ex græca lingva interpretatur *Gudmundus Andreæ* in *not. ad Carm. Volusp.* Str. 55. Nec mihi antemundanum Noctis et Somni connubium, aut per se absurdum, aut theogonia eddica indignum videtur. Præsertim cum Somnum et Somnia inter Deos allegoricos et physicos a Græcis et Romanis relatos esse constet. Cæterum, cum in antiqvissima Thraciæ et Græciæ theogonia Orphica ex ovo mirifico, qvod ab Æthere et Chao productum, Nocte excludente orta dicatur Terra, *Onarum* hunc, Terræ patrem eddicum, cum Orphico Æthere et Chao potius conferendum crediderim, qvandoqvidem de Nocte, Terræ matre, borealis et Orphica mythologia consentiunt. vid. Brückeri *Hist. Crit. Philos.* P. II. L. I. Cap. I. §. XVI. Poterit qvoqve per *Onarum* ipse *Odinus* intelligi, qvi in *Edda Snorr.* Terræ pater dicitur. v. §. XI.

5) Si *Audur*, *Terræ* frater eddicus, pro *Dite* s. *Plutone*, uti videtur, sumendus est, theogoniæ eddicæ cum Hesiodea eatenus convenit; hæc enim *Terram* et *Tartarum* ex eodem principio prognatos statuit, *Vers.* 116 ad 120. Ille qvoqve inter duas has theogonias consensus notari meretur, qvod utraqve *Diem Noctis* faciat filium. vid. Hesiod. *Theog. V.* 124.

§. XVI.

Jam porro ex *Edda Sæmundi* et aliis veterum poëtarum carminibus paucis monstra-

 bimus

bimus, *Terram* et *Hlodynam* eandem fuiſſe Borealium deam. In *Eddæ Sæmund.* Carmine, qvod *Loka-Senna* (*Convicium Lokianum*) dici ſolet, *Lokius Thorum* vocat *Jardar bur*, i. e. *Terræ filium* 1). In antiqviſſimo autem, et argumenti reconditi pleno, ejusdem *Eddæ Sæm.* Carmine, *Völuſpá*, ubi *Ragnaröckr.* i. e. *deorum* et naturæ *interitus* deſcribitur, idem *Thorus Hlodynæ* filius appellatur;

Þá kemr inn mæri h. i.	*Tum venit illuſtris*
maugr Hlódyniar	*Filius Hlodynæ;*
gengr Ódins ſonr	*Prodit Odini proles*
vid úlf vega.	*Cum lupo pugnatum.*
drepr hann af módi	*Poſternit animoſe*
midgards veor 2).	*Midgardicum monſtrum*
muno halir allir	*Homines (tum) omnes*
helveg rydia.	*Lethi viam calcabunt.*
gengr fet níu	*Graditur paſſus novem*
Fiörgyniar burr	*Fiörgynæ natus,*
neppr frá nadri	*Male mulctatus ab hydro,*
níds óqvídnom.	*Damna (dare) non timido,* vel *Calumniæ (ſ. odii deorum) ſecuro.*

Hic *Thorus* non ſolum *Odini*, ſed et *Hlodynæ* et *Fiörgynæ* filius vocatur; qvod evidenter

ter docet, *Terram Thori* matrem et *Hlódynam* et *Fiörgynam* appellari ſvetam. Apud *Snorrium* in *Heimskringla Eyvindus Skaldaſpillir* in duobus verſibus, qvibus regum *Gunhildæ* filiorum parcimoniam notat, iisqve, qvod theſauros terra conderent, exprobrat, *Terram Thori* matrem appellat 3). Vetus poëta, *Völu-Stein*, *Terram* qvoqve (apud autorem *Skaldæ*) vocat *Hlodynam*. Pluribus res notiſſima non eget exemplis. Aut igitur *Thorus* duas pluresve habuit matres, cujus rei et per ſe abſonæ, et *Skaldæ*, qvæ *Terram* altero nomine *Hlodynam* dici teſtatur 4), repugnantis, nullum uſpiam reperitur veſtigium; aut, qvod volumus, *Hlodyna* dea eadem eſt, qvæ *Terra*, Borealibus ethnicis *Odini* uxor *Thorisqve* mater olim credita.

1) in *Edit.* nova *Hafnienſi Str. LVIII.*

2) Vox *Veor*, qvoniam ipſi *Thoro* in *Edda Sæm.* ſæpius tribuitur, qvicqvid magnitudine et viribus immane et giganteum eſt, ſignificare videtur; *monſtrum* illam hic reddidi, qvo ſenſu *Polyphemus* cyclops et gigas, *monſtrum horrendum, informe, ingens*, MARONI dicitur.

 3) vid.

3) vid. *Heimskr. ed. Hafn. T. I. p.* 167.

4) vid. §. *XV.*

§. XVII.

Conſtare igitur jam putamus, atqve ex *Eddarum* et *Skaldæ*, nec non aliis teſtimoniis ſatis eſſe evictum et clarum, *Terram* deam a priſcis Borealibus *Hlodynam* fuiſſe nominatam. Qvoniam igitur *Odinum*, ut ſupremum deum, *Thorum*, ut princeps numen, et *Thori* præterea uxorem *Sifam* 1) venerati ſunt gentiles Germani, qvin iſtius conjugem, illius matrem, et hujus ſocrum, *Hlodynam* iidem qvoqve Germani coluerint, vix poteſt dubitari. Jovem enim Martemqve et Venerem qvisqvis coluit, Junonem qvoqve ſuſpexerit, oportet. Siqvidem porro *Terram* Germani perinde ac Boreales pro dea habuerunt 2), et hujus maritum *Odinum*, filium *Thorum* et nurum *Sifam*, iisdem, qvibus Boreales, appellarunt nominibus, *Terræ* deæ nomen Borealibus uſitatum, nempe *Hlodynam*, Germanos olim latuiſſe haudqvaqvam eſt

eſt veriſimile. Enimvero *Hludanam*, deam cæteroqvin incognitam, coluiſſe Germanos Clivenſi Inſcriptione indubium redditur. Et tanta inſuper nominum, *Hludanæ* et *Hlodinæ* ſ. *Hlodynæ*, (utroqve enim modo ſcribi ſupra diximus 3), eſt ſimilitudo, ut ulteriorem hac de re ambigendi locum relinqvi ego qvidem non videam. Itaqve, omnibus ſerio perpenſis, Germanorum HLUDANAM et Borealium HLODYNAM, unum idemqve eſſe nomen numenqve, ſi non certum, certo tamen proximum nemini non viſum iri confidimus. Aut igitur valde fallor, aut haud poenitendos parentes, maritum, filium, nurum et fratres in *Skalda* et *Eddis* HLUDANA *Clivenſis* invenit, et inventis, niſi jam præ ſenio deliret, anus dea lætabitur.

1) De *Odino* et *Thoro*, vid. §. *II. not.* 2. De *Sifa*, vid. *XV. not.* 3.

2) *Terram* pro principis dei uxore, ut plurimos Aſiæ et Africæ populos, ut Græcos, inqvam, et Latinos taceam, præter Germanos et Boreales, utrorumqve progenitores Scythas olim habuiſſe, teſtis eſt HERODOTUS. L. IV. C. 59.

3) vid. §. VII.

§. XVIII.



§. XVIII.


Huic opinioni tantilla nominis diſſimilitudo, ut id iterum moneam, ne minimum qvidem incommodat. Qvemadmodum enim vocales literæ non in diverſarum modo gentium lingvis, ſed et in ejusdem lingvæ dialectis facillime variant, ita *o* et *u* in lingva germanica et danica, tam prisca qvam hodierna, invicem ſubſtitui, ſexcentis monſtrari poteſt exemplis. *Deus* veteri Borealium lingva *God*, hodierna danica *Gud*, Germanica *Gott*, vocatur. Dani pedem *Fod*, angvem *Orm*, qvietem *Roe* dicunt, qvæ Germanis *Fuſs*, *Wurm*, *Ruhe* appellantur. Nec terminationis qvalicunqve diſcrimine qvicqvam moveor; nam ut taceam, videri potuiſſe Inſcriptionis Clivenſis autori nomen *Hludana*, qvam *Hlodyna*, latinius ſonare, qvam levis et parvi ſit iſta diverſitas momenti, vel ſolæ docent voces *Wodan* et *Odin*, qvas ejusdem dei idem eſſe nomen, omnes conſentiunt.

§. XIX.

Fore vero qvosdam exiſtimo, qvi objiciant *Hlodynam* eddicam numen eſſe mere poëti-

poëticum, qvod nuſpiam forte, niſi in poëtarum cerebro et carminibus, cultum fuerit. Fateor eqvidem me nullibi, qvod meminerim, in hiſtoricis Borealium monumentis *Hlodynæ* cultus veſtigium reperiſſe, ſed nec in iisdem forte invenies, *Terram* deam ſuas in Septentrione aras et templa habuiſſe. Utramqve tamen inter deas *Eddæ* et *Skaldæ* referunt, idemqve numen eſſe teſtantur 1). Qvodſi autem *Hlodynam* eam ob cauſam mere fictitiam putas, qvod ejus memoria in eddicis et aliis poëticis monumentis tantum ſuperſit, qvodſi, inqvam, eam concludendi rationem ubiqve tutam credideris, vereor ne antiqviſſima non modo regnorum borealium, ſed et univerſalis mundi hiſtoria ſimul corruat, qvippecujus notitia priſcis poëtarum carminibus tota fere debetur 2). *Forſetio* ſuum in deorum concilio locum aſſignant *Eddæ;* an vero, qvando et a qvibus cultus fuerit, de hoc non in *Eddis* tantum, ſed et apud *Saxonem*, *Snorrium* et reliqvos, ni fallor omnes hiſtoriæ borealls ſcriptores antiqvos, altum eſt ſilentium. Numen tamen

mere



mere eddicum ſ. poëticum non fuiſſe, cum a Friſonibus et Saxonibus cultum ſit, ab exteris ſcriptoribus jam didicimus 3).

1) vid. §. XI. XV. et XVI.

2) vid. *Heimskr. edit. Hafn. Præfat.* pag. XII et ſeqq.

3) vid. §. IX.

XX.

Hlodynam deam agnoviſſe Boreales *Edda* docet, coluiſſe Germanos monumentum Clivenſe teſtatur. Nempe eo tempore, ad qvod hiſtoria borealis aſſurgit, deorum naturalium cultus in Septentrione jam tum obſolevit, ab anthropolatria Odiniana ſenſim victus et tandem ejectus foras. Innuunt itaqve monumenta eddica Septentrionis deam aliqvando fuiſſe *Terram*, ſed *Odino homine* antiqviorem, cum in *Eddis* Odinianarum dearum ſyrma claudat, et magnæ qvaſi domus appendix habeatur 1). *Terram* vero deam agnovere et venerati ſunt Germani, ſaltem *Taciti* tempore 2); unde colligi poteſt, *Odini* hominis cultum inter eos vel nondum invectum, vel minus altas egiſſe radices. Antiqviſſi-

qviſſimus apud Italos *Terræ* cultus fuit, qvi multis ante *Chriſtum* natum ſeculis

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant 3).

Hlodynam igitur ſ. *Terram* ſibi *Thorum hominem* matrem aſſumſiſſe haud eqvidem miror, cum hæc dea non gigantum modo, qvorum ille domitor, maximus ipſe gigas, ſed et deorum genitrix cluat, et vel HOMERO *magna parens divum*, ORPHEO *alma deum mater materqve virorum*, MARONI *alma mater*, et STATIO *hominum divumpve æterna genitrix* dicatur 4); cum, inqvam, eadem hæc dea a Græcis et Romanis, a Phoenicibus, Ægyptiis, Scythis, aliisqve ab ultima inde antiqvitate culta fuerit 5).

1) vid. §. XI. et XIV. 2) vid. §. II. not. 4.
3) vid. HORAT. *Epiſtol. L. II. Ep. I.* v 143.
4) vid. SCHÜTZE *Germ. Sacr. Gent.* Exerc. III. §. III.
5) vid. Voss. de Orig. et Progr. Idol. L. II. P. II. a Cap. LI. ad Cap. LXIII.


§. XXI.

Hlodynam ſ. *Hludanam* ſupra monuimus eſſe myſticum *Terræ* deæ nomen 1). Nec vero *Hertham Taciti* moror, cum cuivis perſpicu-

ſpicuum ſit, illud non eſſe myſticum deæ, ſed vulgare Germanorum terræ nomen *Erde*, latina terminatione donatum. Illud porro ex antecedentibus patet, *Hludanæ* ſ. *Hlodynæ*, ut numinis naturalis, cultum, et in Septentrione et in Germania, Odiniana ſuperſtitione fuiſſe anteriorem 2). Qvoniam autem ultimus Septentrionis *Odinus* nativitatem Chriſti centum circiter annis antevertit 3), et mythologia eddica ſeculo demum p. Ch. n. XI. v..XII. literis primum conſignata eſt, inde porro colligimus, *Terræ* ſ. *Hlodyniæ* venerationem eo tempore, qvo ſcripta eſt *Edda* antiqvior, integro annorum millenario apud Boreales intermortuam fuiſſe. Primo tamen p. Chr. n. ſeculo *Terram*, adeoqve et *Hlodynam*, a Germanis cultam eſſe teſtis eſt *Tacitus*, ejusqve cultum diu deinceps in Germania viguiſſe, inde, me judice, concludi potuerit, qvod anthropolatria Odiniana, deorum naturalium exterminatrix, et univerſæ Germaniæ nunqvam dominata, et eo ſaltem longe ſerius, qvam in Septentrionem invecta fuerit. Hoc etſi *Heimskringlæ* et *Eddæ Snor-*

rii

rii 4) adverſari videatur, hiſtoricis tamen argumentis probari poſſe credo. Vides igitur, non id nos agere, ut domi natum et mere eddicum numen *Hlodynam*, diis Germanis, velut ingratum hoſpitem, obtrudere conemur, cum *Edda*, etiam antiqvior *Sæmundiana*, cultu *Hlodynæ* ſ. *Hludanæ* multo ſit recentior. Proinde *Hlodyna* noſtra tantum abeſt ut ex *Edda*, qvaſi ex natali gurguſtio, in Germaniam prorepat, ut ex ipſa Germania primitus in *Eddam* migraſſe potius credenda ſit. Nimirum Eddicarum Fabularum collector *Sæmundus Oddenſis*, ſtudiorum cauſa in Gallia et Germania diu verſatus, *Hludanæ* ſ. *Hlodynæ* nomen, numen et cultum, qvæ in Septentrione jam dudum intercidiſſe videntur, (eoqvod extra *Eddam Sæm.*, *Skaldam*, et qvædam priſca carmina, nulla hujus deæ mentio reperiatur), ut erat antiqvitatum et hiſtoriæ induſtrius ſcrutator, ab ipſis Germanis, *Terræ* ſ. *Hludanæ* deæ cultoribus, didiciſſe haud temere cenſebitur. Ubi vero in patriam redux *Sæmundus* 5) operi mythologiæ borealis concinnando manus admovere coepit,



Hludanæ nomen, qvo *Terram* vocatam et in Germania olim cultam novit, eddicis *Terræ* appellationibus immiſcuit. Hoc ſalva fide et optimo jure facere *Sæmundus* potuit: *Thorus* enim, Borealium numen, qvoniam *Terræ* filius habebatur, matrem ipſius *Terram*, *Hludanam* ſ. *Hlodynam*, qvo nomine a Germanis vocari ſvevit, appellari nihil prohibuit. Eo igitur omnia ſpectare mecum lector vides, ut eddicam nostram *Hlodynam*, ipſiſſimam eſſe Germanorum *Hludanam*, doceant. Sed de ipſa jam dea ſatis.

1) vid. §. *XV.* 2) vid. §. *XX.*

3) vid. *Chronologiam*, præmiſſam *Heimskringlæ*, *ed. Hafn.* *T. I. Præfat.* p. *LI.* et SUHM. *Libr. cit. I. B. II. Cap.* §. *IX.*


4) Nempe *Snorrius Odinum* borealem cum Saxonico, qvi aliqvot ſeculis recentior, confundit. vid. *Prolog. Eddæ Snorr.* et *Heimskr.* T. I. *Ynglinga-Saga. Cap. V.*

5) In Islandiam rediit *Sæmundus* circa annum 1076 vid. FINN JOH. *Hiſt. Eccl. Isl.* *T. I. P. II.* S. I. C. II. §. XI.

§. XXII.

§. XXII.

Jam ſupereſt, ut de nomine *Hlodynæ* ſ. *Hludanæ*] qvædam annotemus. Scio eqvidem, non multo minus temerarium magisve lucroſum plerumqve eſſe, ſiqvis res hiſtoricas ex etymologiarum oceano expiſcari velit, qvam ſi absqve velis remisqve et gubernaculo optatum ſe portum navigando credat occupaturum. Fuit tamen, ubi origines vocum rimari, in argumento præſertim mythologico, non utile modo, ſed et neceſſarium eſſe, doctiſſimorum virorum induſtria monſtravit 1). Res redit ad conjecturas, fateor: verum paucas ego in latiſſimo veritatum regno provincias novi, qvæ conjecturis vel commode carere poſſint, vel unqvam caruerint. Qvid, ſi *Hludana* ſ. *Hlodyna* noſtra eadem eſt, ac LATONA? Credidit GÖRANSONIUS 2): audacter forte; ſed nec omnino abſurde. Ipſe qvidem vir doctiſſimus opinionem ſuam probare ſuperſedet. Rationes tamen, qvæ huic ſententiæ faveant, haud prorſus frivolas ſuppetere, mihi perſvaſum. Qvan-



doqvidem enim *Iſidem* Ægyptiam, *Jovem*, *Mercurium*, *Martem*, *Herculem*, imo *Apollinem* et *Dianam*, ac omnes fere antiqvos Græciæ deos coluere Celtæ, qvibus cum Germanis communia olim ſacra fuiſſe nullum fere eſt dubium 3), qvod *Latonam* etiam, ſuis ſaltem locis, venerata qvondam ſit Germania gentilis, nihil eſt qvod diſſvadeat opinari. Græcas in Germania colonias, teſte *Tacito*, ipſi agnovere Germani 4). Porro *Hlodynæ* cum *Latona* non ſolum nomen, qvod ſatis ſimile, ſed et alia ſunt communia. Hæc *Jovis*, illa *Odini* uxor ſeu concubina. *Jupiter* autem et *Odinus*, princeps ſuis uterqve cultoribus deus, in multis, ut cuiqve notum, inter ſe congruunt. *Latona* porro *Apollinis*, *Hlodyna Thori* mater. *Apollo* autem et *Thorus* non adeo diſſimiles; uterqve *Solis* numen creditus, uterqve gigantum domitor, ille *Pythonis* ſerpentis, hic *Angvis Midgardici* interfector. Si igitur *Hlodyna* eadem eſt ac *Latona*, non eſt cur origo nominis *Hlodynæ* ultra nos habeat ſolicitos.

1) Mythologiæ græcæ, origines vocum græcarum hebræas et phoenicias investigando, qvantam affuderit lucem EUSEBIUS *Cæsarienf.* BOCHARDUS et alii, inter eruditos satis constat.

2) vid. JOH. GÖRANSONS *Patriarkal. Lära* ed. *Stockholm* 1750 *Vólo Spá* str. 57.

3) v. JUL CÆSAR. *B. Gall. L. VI.* 17. item *La Mythologie* par BANIER *Vol. V. P. II. L. VI.* et *VII.*

4) v. TAC. *de Mor. Germ.* c. 3.

§. XXIII.

Verum ista pertinacius urgere nolumus, qvæ eo tantum consilio in medium a nobis prolata sunt, qvo pateat, eorum edicta non prorsus audienda, sed cum mica salis, qvod ajunt, accipienda esse, qvi, in patriis antiqvitatibus explicandis, ad exotica provocare nefas existimant. Etenim, si non modo Septentrio et Germania, sed tota propemodum Europa, si mediam et infimam Italiam, cui Græcia et Asia Minor colonias misit, et pauca forte Hispaniæ loca, qvibus Africa vicinior et Phoenicia colonos dedit, exceperis, primos Scythiæ debet incolas; si ultimus ille *Odinus*, qvi cum suis in Septentrionem immi-



gravit, et regnis his borealibus lingvam et religionem novam intulit, in *Asgardia Prisca* cum vicinis *Vanis* s. Græcis multum habuit commercii; si inqvam *Niördus* et *Frejus*, qvos præcipuos peregrinationis socios habuit, regum borealium deinceps progenitores, ipsi, qvippe *Vani*, græcæ fuerunt originis 1); si deniqve ipsius Græciæ pleriqve, saltem principes dii, non in Græcia nati, sed ex Ægypto, Phoenicia et aliunde cum novis coloniis eodem invecti sunt, qvod nemo nisi mythologiæ omnis imperitus negaverit 2); non est, cur nos vel *Hludanam* Germanam ex Græcia arcessere, vel *Hlodynam* eddicam in Germania, ubi maritus *Odinus*, filius *Thorus*, nurus *Sifa*, suas aras, suas statuas habuerunt 3), qværere metuamus. Unde, qvæso, *Tifar*, *Diar*, *Ver* 4), voces latinæ? unde *Hár*, *Sadur*, *Herian* s. *Heriafaudur*, *Odini* nomina 5)? unde *Tyr* et *Hlyn* 5), dii? et si res mavis, unde, qvæso, *metempsychosis?* unde *stoicus mundi interitus*, ipso sane parente Stoæ *Zenone* longe antiqvior? unde

mysti-

myſtica arbor *Yggdraſill* 6)? unde *poma vivifica*, juventutem et vitam perpetuam largientia 7), ut alia plurima ſileam, in *Eddis* viſuntur? Horum ſiqvis incunabula in Septentrione, vel in Islandia, inſula ante IX hæc ſecula incoli primum coepta, reperiunda putaverit, næ ille in ipſo meridie cæcutiet!

1) vid. *Edd. Snorr. Fab. XXI.* et *Heimskringla*, *Ynglinga Saga Cap. IV.*

2) De his conſule VOSSIUM, BANIER, BOCHARDUM et alios, qvotqvot de Græcorum diis, qvod lectu dignum ſit, qvicqvam ſcripſere.

3) vid. §. XVII. not. 1.

4) Hæ voces, *Tifar Diar Ver*, nempe latinis, *Divi Dii Vir*, in *Eddæ Sæmundianæ* carminibus ſæpius occurrunt.

5) Græci ſummum deum ὕπατον et ὕψιςον vocarunt, qvod noſtro HÁR reſpondet. vid. Voss. *de Or.* et *Progr. Idolol. L. II. C. XXXVII.* Nec aliud eſt ALTANUS, qvod in *Ælfrici Gloſſario Sax.* VODEÑI nomen eſt, qvam eddicum HÁR *Altus*. Nempe qvanta illi ævo latinitatis cura fuerit, Inſcriptiones, qvas collegit KEYSLERUS, *Dis* MAIRABUS ſ. MATRABUS factæ, teſtantur. Deorum enim dearumqve nomina in *anus* et *ana* pulcherrime terminari viſa, non *Altanus* ſolum et *Hludana*, ſed *Hercules Saxanus Maguſanus* etc. docent. SADUR a *Saturno* (niſi forte a *Satyro*), formatum eſſe, qvî tam abſurdum videtur, cum a Batavis dies Saturni *Sater-dag* dicatur. HERIAN, Bel-



lator, et *Heriafaudur* bellantium f. exertituum pater ad Biblicum veri Dei nomen proxime accedit.

5) Tyrum Deum, ab Affyrio rege *Turras*, *Nini* filio, qvi in *Chronico Alexandrino* "*acer bellator, et arctoas plagas paterno imperio adjeciffe, poft mortem pro Marte cultus, et belorum deus dictus*" fuiffe perhibetur, nomen et originem forte traxiffe, obfervavit Bartholinus in *Antiqv. Dan. Lib. II. C. V.* et Suhmius *L. cit. III. B. I. Cap.* §. *I.* Sed cum Tyr *taurum* fignificet, *Tyrum* Borealium deum, cum *Apide* cognationem qvandam habere, vel inde credibile, qvod Cimbri *taurum æneum*, (vid. Suhmii *Libr. cit.* §. *cit.*), *taurum* Norvegi, (vid. *Ol. Trygvini Hift. ed. Skalh. II. P. XIII. Cap.* 34. *p.*), et *bovem* Sveci olim coluerint, tefte *Ragnari Lodbroki Hiftoria, Cap. IX. feqq.* Porro Hlyna f. Hlina, *Friggæ* famularis nympha, (de qva *Edda Snorr. Fab. XXX*), qvidni poteft effe Helena, *Veneris* miniftra, ab *Ilienfibus* et *Epidauriis* culta, tefte *Athenagora* et *Ptol. Hephæftione*, apud Vossium, *citat Libr. I. C. XXI.* et *XXXIX?*

6) Arborem eddicam Yggdrasill cum *quercu* Pherecydis, cui libet et vacat, comparet. Utramqve univerfæ naturæ emblema fi credideris, nec Beausobrium, nec me diffentientes habebis. vid. J. Brückeri *Hift. Crit. Philof. P. II. Libr. II. C. X.* §. *III.*

7) Yduna, (de qva vid. Suhm, *Om Odin. III. B. II. Cap.* §. *VIII.*), cibatrix deorum, et juventutis perpetuæ largitrix, cum dea *Juventa*, græcanici *Jovis* pocillatrice, idem fortita officium videtur. *Poma* vero *vivifica* traditionis de *Arbore Vitæ paradifiaca*, apud Boreales *Japheti* pofteros fuperftitis, et in aliarum gentium mythologiis neqvicqvam forte qværendæ,

rendæ, indices reliqvias ſiqvis dixerit, mihi idcirco helleboro indigere non cenſebitur.

§. XXIV.

Qvemadmodum vero non omnes peregrinas nominum et rerum origines temere reſpuendas exiſtimo, ita antiqvitatum interpretibus in hoc argumento prudenter et caute verſandum, nec ab aliis, qvæ domi ſuppetunt, impudenter emendicanda, facilis largior. Non enim GÖRANSONIO credulus adſtipulor, Carminis *Voluſpa*, qvod ob defectum hiſtoriæ perobſcurum et altioris indaginis eſſe fateor, argumentum pure *Biblicum* facienti 1). Nec in GUDMUNDI ANDREÆ, ejusdem Carminis interpretis, et *Lexici* ſatis noti autoris, verba ubiqve obſeqvens juro, dum nullas fere non voces ex hebræis et græcis fontibus derivat, ſæpe ineptiens, ſæpe opportuna locutus 2). Si igitur domeſtica nominis HLODYN origo magis placuerit, qværam, et qvod habuerim, dabo.

1) vid. Librum §. XXII. not. 2. citatum.

2) vid. *Voluſpa*, ex Biblioth. P. J. RESENII. Hafn. 1673.



§. XXV.

Terræ deæ nomen HLODYN a voce HLOD, qvod in lingva prifca boreali, *aram*, *focum*, *fornacem* fignificat, fupra memoratus GUDMUNDUS deducit 1); fed fuæ fententiæ patrocinantes nullas afert rationes. A veri fpecie ifta GUDMUNDI fententia non multum abludere mihi qvidem videtur. Curni enim ab *ara* vel *foco* denominari potuit *Hlodyna*, qvæ *Odini* conjux, *Thoriqve* mater, habebatur, cum uterqve hic deus fymbolica *Solis* et *Ignis* numina antiqvis creditus fuerit 2), unde et ignis inexftinctus, *Thoro* facer, in Borealium olim templis confervabatur 3)? Apud Romanos et alios *Vefta*, qvæ itidem *Terra* dea, atqve adeo a *Hlodyna* noftra non prorfus diverfa, eadem æterni ignis cuftodia qvondam culta fuit. Vocem HLOD *focum* f. *fornacem* fignificare ufus vocis in Islandia etiamnunc fuperftes commonftrat. Si igitur inde nomen *Hlodyn* defcendit, ipfum numen, *Deam Focariam* f. *Fornacalem* latine vocaveris. Mythologiarum vero confenfum lector miraэe; nam et ipfi Latini, tam *Terræ* qvam *Ig-*

nis

nis Deam, *Fornacem* et *Deam Fornacalem* nuncuparunt et venerati ſunt 4), hujusqve feſtum *Fornacalia* dixerunt 5). Noti ſunt verſus Nasonis:

Et Fornacali ſunt ſua ſacra Deæ.

Hiqve porro 6):

Facta Dea eſt Fornax, læti fornace coloni
Orant ut vires temperet illa ſuas.

1) vid. Libr. §. XXIV. n. 2. cit. p. 93. 2) vid. §. XIII.
3) vid. Bartholini *Antiqvit.* Dan. L. II. C. II. p. 273.
4) vid. Vossium *de Orig.* et *Progr. Idolol.* L. II. Cap. LXI.
5) vid. *Faſt. Libr.* VI. 6) vid. Ovid. *Faſt.* L. II.

§. XXVI.

Cæterum nominis *Hlodynæ* etymon paulo preſſius inveſtigare et lingvas cognatas conſulere ſi volueris, vocem hlod ſ. lod antiqviſſimo ſignificatu *ignem* denotaſſe reperies. Hanc, inqvam, vocem tanta derivatorum proles, et tot agnata ſeqvuntur, ut primitivæ matris indago haud ſit difficilis. Celtis *Lludw* ſunt *cineres igniti*. *Liutha* et *Lutha*, ignitabulum, item *lioth*, *lucem*, in lingva Theotiſca ſignificat 1). Anglo-Saxonibus

Leoht



Leoht eſt Lux, *Leohtan* accendere, *leohtbær* luminoſus, *Leohtbeamed* radians; nec non *hleovan* fovere, *hleo-færte* calidus, *hleovd* apricitas, item *gled* pruna 2). Germanis *Loder* eſt favilla, *lodern* ardere, flammigare 3). Danis *Glöd*, favilla, *gloende* qvaſi *glodende* ignitus, candens. Iſlandis *Glód* eſt ignis, pruna, unde *glodraudur*, ignis inſtar rubens, *at glóa* ſplendere. *Skalda* ignem *Glodur* (al. *glædur*) apellat; nec diverſæ originis ſupra memoratum *hlód*, focus. In *Edda Sæmundi* occurrit vox *lodi*, qvam *ignem* ſignificare poſſe viro docto obſervatum 4). Huc etiam referenda videntur, *Liti*, qvod Bohemis eſt *liqvefactio igne producta;* nempe *metalla ignis interventu conferruminare* Germani *Löthen*, Dani *at lodde*, Sveci *lodda*, Islandi *at lóda* vocant. Hæc omnia communis eſſe originis, et ad LOD, HLOD, GLOD, qvæ ignem ſignificant, reſpicere lector attentior non dubitabit. Nam *h* et *g*, literæ *l* et aliis conſonis præpoſtta, ortum vocis minime variare, Dan. *Lycke*, German. *Glück*, fortuna, et Dan. *Naade*, German. *Gnade*, gratia, et plurima alia docent exempla.

1 Apud

1) Apud Gerbertum in *Glossario Theotisc.*

2) Hæc omnia in Thom. Benson. *Vocabulario Anglo-Saxonico* ed. *Oxon.* 1701. inveniuntur.

3) vid. Lutheri *Vers. Bibl.* in *Joel*, Cap. II. v. 5.

4) In *Eddæ Sæm.* (ed. nov. Hafnienſ.) Carmine *Grimnismâl ſtr.* I. inter varias lectiones notatur, *lodi* ſignificare *ignem*. Imo hic forte notat ipſum *Odinum*. Recte tamen in Contextu *lodi*, larcerna, redditur; qvo ſignificatu in alio *Eddæ Sæm.* Carmine, *Godrunar-Qvida* occurrit, ubi hæc: *höfdo loda rauda*, i. e. *induti erant lacernis rubris*. Præterea *loda*, lodix, ſagulum eſt vox Angloſaxonica.

§. XXVII.

A voce lod, hlod, qvæ ignem notat, *Odinum*, ut ignis numen, Lodinn apellatum credo. Inter *Odini* nomina in *Skalda* reperitur *Lodinn*, qvod idem ac *Hlodinn*. Etenim aſpirationem *h.* indifferenter vel addi vel abeſſe poſſe, neminem lingvæ antiqvæ borealis non ignarum latet 1). In *Eddæ Sæmundianæ* Carmine, qvod *Helga Qvida Hundingsbana* dicitur, hæc occurrit ſtropha:

Lodinn heitir er þic ſkal eiga.
Leid erto mannkyni.
Sá byr í Þolleyo þurs
Hundvíſs jötun

Hraun-



Hraunbúa verſtr.
Sà er þer makligr madr.

h. e. *Lodinus dicitur, qvi te uxorem ducet,*
Homines (qvippe) *te faſtidiunt.*
In Tholleya 2) *habitat Satyrus,*
Multiſcius Gigas,
Saxicolarum peſſimus.
Ille te decet maritus.

Verba nempe ſunt *Helgii Hrímgerdæ* connubium abominantis. *Lodinus* hic eſſe videtur genius monticola ſ. gigas; non eorum ex numero, qvi homines fuerunt, ſed ad *Faunos*, et *Satyros*, ɔ: *Trollos* referendus. Gigantum autem nomina *Odinum* ſibi appropriaſſe, qvicunqve *Odini* et gigantum nomenclaturas eddicas legerit, non diffitebitur 3). Verum, ut qvæ ſentio, dicam, *Helgium* per *Lodinum*, ad qvem procantem *Hrimgerdam* amandat, ipſum *Odinum* intellexiſſe non dubito; more veterum etiam gentilium, qvi, ſicui male cupiebant et precabantur, *Odino* eum devovere ſolebant, hac vel ſimili formula verborum: *hafi* þic *Ódin*, ɔ: *Odinus te habeat* 4)!

1) *Hnikar*

(1 *Hnikar* et *Nikar* Odini nomina, *Hrafn* et *Ravn* corvus, item viri nomen, *hlupo* et *lupo* cucurrerunt, et multa alia indiſcretim veteres ſcripſerunt.

2) *Tholleyá* inſula qvæ fuerit, dicere non tam pronum. Inter eddico inſularum nomina fruſtra qværitur. Niſi tamen fallor, eſt inſula Norvegiæ, olim dicta Dolkey, vid. BARTHOL. *Antiqv. Dan.* L. II. C. II. p. 276. In *Hiſtoria Orcadenſium* vocatur *Dolls*, nempe per apocopen pro *Dollsey*; qvemadmodum inſula Cimbriæ olim *Maarsey*, (vid. *Knytlinga*, C. I.) nunc *Maars* ſ. *Mors* appellatur. Inſula *Dollsey* famoſa olim erat a lemure *Dollo*, qvi et inſulæ nomen dediſſe videtur. Hujus antrum ſepulcrale intravit *Kalius*, deinceps Orcadum Comes. vid. *Hiſtoriam Orcadenſium*, ſumtibus *Illuſtriſſ.* SUHMII *Hafniæ* 1770 editam, pag. 154, et 156.

3) *Grimnir* et *Hvedrungr* Odini ſunt nomina, uti et gigantum.

4) vid. *Illuſtriſſimi* SUHMII libr. cit. I. B. I. C. §. VII.

§. XXVIII.

In Carmine *Voluſpá* unus ex tribus hominis formatoribus diis, LÓDUR appellatur, his verbis:

Önd gaf Ódin, ód gaf Hænir,
Lá gaf Lódur oc lítu góda.

i. e. *Animam dedit Odinus, ingenium (mentem ſ. rationem) dedit Hænerus, ſangvinem dedit* LODUS, *et ſpeciem venuſtam.*

Ean-



Eandem hanc hominis formationem *Edda Snorriana, Fab.* VII. *Odino* ejusqve fratribus *Vilio* et *Veo*, iisdem fere, ſi deorum hæc nomina exceperis, verbis adſcribit. Qvæ qvidem male cohærent, niſi *Hænerum* et *Vilium*, *Veum* et *Lodum* eosdem ſtatuas deos 1). De *Hænero* et *Vilio* alii viderint, qvi ab *Odino* et a ſe invicem, qvantum ex Eddicis carminibus et fabulis prima ſaltem ſpecie colligi poteſt, diverſi videntur; *Hænerus* enim *Odino* poſt *Ragnaröckur* (*Crepuſculum deorum*) ſuperfuturus dicitur 2). *Veum* autem, uti et *Lodum* peculiaria numina non credo, nec ab ipſo *Odino* diverſa. *Ve* certe qvamlibet rem ſacram, adeoqve et qvemlibet deum denotat; et ſi myſticam hominis formationem exceperis, nihil ſigillatim feciſſe in *Eddis* legitur. Idem qvoqve de *Lodo* ſentio, qvem eundem cum *Veo*, imo *Odino* eſſe non dubitaverim, qvoniam nec in *Eddæ Snorr. Fab.* XVIII, et ſeqq., ubi dii mares enumerantur, ejus nomen invenitur, nec ulla cæteroqvin ejus, vel in *Eddæ* antiqvioris carminibus, vel in recentioris fabulis, nec apud alios poëtas anti-

antiqvós, qvos ego qvidem legerim, mentio occurrat 3). Mihi igitur perqvam verisimile est, hominis hunc formatorem *Lodur*, eundem esse ac *Lodinn*, qvod *Odini*, *Hlodynæ*, mariti, nomen esse supra monstravimus 4).

1) vid. §. XII. 2) vid. *Völuspá str.* antepenult.

3) Eqvidem *Snorrius* in *Heimskringla*, *Ynglinga Saga C. III. Odini* fratres *Vili* et *Ve* nominat, *qvi in Asgardia prisca, peregrinante Odino, ejus bona et hæreditatem inter se partiti, amboqve ejus conjugem Friggam matrimonio sibi junxerunt;* et *Cap. V. Odinum*, cum in Septentrionem migraret, *fratres suos* VILI *et* VE *Asgardiæ præfecisse*, narrat. Verum hic observes velim, omnia, qvæ de *Odino* in *Heimskringla* refert *Snorrius*, referenda esse ad ultimum illum *Odinum*, qvi in Septentrione cultum divinum adeptus est, et a qvo priscæ Borealium genealogiæ incipiunt. Hic autem *Odinus* probe destingvendus est ab alio cognomine *Böri* filio, longe antiqviore, et qvi hæc borealia regna nunqvam vidit, a suis post mortem deus habitus. Si igitur ultimus *Odinus* fratres habuit *Vili* et *Ve*, illi certe cum *Odini*, *Böri* filii fratribus, hominis formatoribus, nihil præter nomen habent commune. Nimirum ultimo *Odino* solenne fuit, antiqviorum deorum nomina et gesta sibi suisqve attribuere, qvo facilius dii haberentur; qvod ope metempsychoseos, borealibus non incognitæ, fidem plebeculæ meruisse videtur. Cæterum de *tribus Odinis hominibus*, a majoribus pro diis habitis, vid. *Illustriss.* SUHM *Libr. cit. I. B, II, C, §. V. VI. et VII.*



4) De his plura vid. SUHM. *Libr. cit. I. B. I. C.* §. *IV.*

§. XXIX.

Huic ſententiæ haud exigiuum a SAXONE noſtro fulcrum accedit. Ille nimirum autor cum plerisqve aliis, qvi res antiqviſſimas literis mandandas ſuſcepere, id habet commune, ut in initiis hiſtoriæ referendis magis mythologum qvam hiſtoricum agere cogatur. Enimvero SAXO *Lotherum* tertium Daniæ regem fuiſſe, eiqve filium SKIÖLDUM in regno ſucceſſiſſe memorat 1). *Edda* vero *Snorriana* inclytum hunc Daniæ regem *Skiöldum*, a qvo Auguſtiſſimum Daniæ regum ſtemma, *Skiöldunger* dictum, nomen et originemtraxit, *Odini* facit filium 2). Qvis igitur non videt eddicum *Odinum* eundem eſſe cum *Lothero Saxonis*, qvi eddica hæc numina in reges et heroas, nec immerito, transformat. Qvemadmodum autem Saxo eddicum deüm *Hödur*, *Hotherum* vocat, eumqve Daniæ et Veciæ regem fuiſſe perhibet 3) ita qvippe *Skiöldi* patrem, eddicis carminibus decantatiſſimum *Odinum*, Daniæ regem *Lotherum* fuiſſe

fuiſſe docet; qvod manifeſto eſt indicio, *Odinum* etiam *Lodur* dictum, atqve adeo cum ſupra memorato Lodur ſ. *Hlodur*, cui hominis formationem Carmen *Völuſpá* tribuit, *Saxonis* Lother unus idemqve cenſendus eſt 4).

1) vid. Saxonis Gramm. *Hiſt. Dan.* Libr. I. p. 5.

2) vid. *Prolog. Eddæ Snorr.*

3) vid. Sax. *Hiſt. Dan.* L. III. p. 39.

4) *Lodum* et *Lotherum* unum idemqve nomen eſſe agnoſcit Torfæus, (in *Ser. Reg. Dan. Libr.* II. C. III. p. 247); Sed hunc *Lotherum Saxonis* non Daniæ, ſed Saxonum forte regem, et *Wodani* fratrem, adeoqve non *Skiöldi* patrem ſed patruum fuiſſe credit. Inter *Saxonem* autem et *Torfæum* tantas componere lites neutiqvam noſtrum eſt. Hiſtoricam veritatem aliis examinandam relinqvens, et in argumento mythologico occupatus, *Lotherum Saxonis*, *Skiöldi* nempe *patrem*, *Prologum Eddæ Snorrianæ* ſecutus, *Odinum* facio, eundem ſcilicet, qvi in *Edda* antiqviore *Lodur* et *Lodinn* vocatur. Certe *Odinum* regem Daniæ fuiſſe, præter *Saxonem*, alii credidere. vid. Suhm. *Libr. cit. I. B. II. C. §. VI.* A *Lothero* antiqva Daniæ regum ſedes *Lethra* nomen ſortita videtur.

XXX.

Ex *Hauki Habroki* Hiſtoria, qvæ ſatis qvidem, ſed non usqveqvaqve fabuloſa, in *Codice Regio Flateyenſi* adhuc ſupereſt, conſtat, Sveciæ regem *Ericum Edmundi filium*,

 qvi



qvi Ao. CCMLXXXIII. mortuus eſt, peculiare numen coluiſſe, qvod ſcriptori relationis LYTER nominatur 1). Non crediderim *Eddarum* et *Skaldæ* autores, qvi qvicqvid deorum et dearum in Septentrione olim fuit, *Eddis* inferſerunt, aulicum hoc Veciæ, nec *Haraldi Pulchricomi* tempore antiqvius, numen præteriiſſe, ſi ab omnibus, qvos habent *Eddæ*, diis fuiſſet diverſum. Mihi qvidem *Lyter* pro *Löter* ſcriptum videtur, literis *y* et *ö* tam facile apud veteres alternantibus. *Löter* vero, *Lodur* et Saxonis LOTHER, non magis diverſa puto, qvam *Hödur* et *Hother*, qvæ idem eſſe nomen ſupra monuimus 2). Inſolens igitur, et doctis hactenus minus cognitus Sveci regis deus *Lyter* 3), ex iis, qvæ jam diſſeruimus, nullus alius fuiſſe cognoſcetur, qvam magicum illud et princeps Borealium numen *Odinus*, cujus inter innumera fere nomina SAXONIS *Lother*, et eddica *Lodinn* et *Lodur*, fuiſſe, ex ante dictis arbitror patere 4). Non igitur amplius miror, Scotos olim antiqvum Scandinaviæ numen LODA vel LODEN appellaſſe 5), cum hoc idem *Odini* nomen apud

apud ipſos Scandinaviæ incolas, uti nunc oſtenſum, uſu valuerit.

1) vid. *Cod. Reg. Flateyenſ.* in *Vita Hauki Habroki.* C. III. 2) vid. §. XXIX.

3) vid. inter alios, SVEN BRING, *Swea Rikes Hiſt. I. Del.* C. 15. §. 3.

4) vid. §. XXVII. XXVIII. et XXIX.

5) vid. *The Poems of* OSSIAN, *transl. by J.* MACPHERSON. *Lond.* 1773. *Vol. I.* in CATH-LODA, *Duan I. pag.* 13. *not.* et *Vol. II. in* TEMORA, *B. V. p.* 104. *not.* ad *the ſton of loda.* Ubi, et paſſim alias, LODA ſ. LODEN cum *Odino*, Scandinaviæ deo, eundem eſſe poëmatis interpres Anglicus fatetur.

§. XXXI.

Qvoniam ita monſtravimus, *Odinum* olim nominatum fuiſſe *Lodur*, *Lodinn*, ſive, qvod idem eſt ac indifferens, *Hlodur*, *Hlodinn*, perqvam probabile eſt, ipſius conjugem inde dictam *Hlodyn* vel *Hlodun.* Erat enim veteribus ſolenne, a virorum nominibus foeminina formare, addito qvoqvam terminationis diſcrimine, qvominus cum maſculis confunderentur. Et qvemadmodum latini *Helenus* et *Helena*, *Porcius* et *Porcia*, etc. dicunt, ita apud Boreales a maris nomine *Yngi* eſt foeminæ nomen *Yngun*, ab *Odur Ydun*, a *Thor Thorun*, a *Tyr Tyre*, a *Kialar*,

 v. *Kiöll*


v. *Kiöll* 1) *Kiöllun*, a *Fiörgvin Fiörgyn*, a *Freir Freja*, et addo, a *Hlodinn* v. *Hlodur*, *Hlodyn*. Habes igitur noſtram de origine nominis *Hlodynæ* v. *Hludanæ* ſententiam: nempe *Odinus* a Hlod v. Lod, qvod *ignem* ſignificat, dictus eſt Hlodur vel Hlodinn, qvaſi *Solis* v. *Ignis Deus; Odini* vero conjux *Terra* a marito *Hlodo* vel *Hlodino*, vocata eſt Hlodyna 2), qvaſi *Hlodia*, i. e. *Hlodi* dei conjux. Nec omittendum illud, qvod in Editione carminis *Voluſpá Reſeniana*, hæc dea, non *Hlodyn* ſed Hlodny nuncupetur 3); qvod aut mendum eſt, aut unum idemqve nomen. Utraqve enim terminatio *yn* et *ny*, ſola literarum transpoſitione varians, uſitatiſſima ſexus foeminei index olim erat. Ita nomina mulierum *Thorun* et *Thorny* a *Thor*, *Oddny* ab *Oddur*, *Hrony* a *Hroar*, viri nomine, formata ſunt. Nimis igitur ſedulus videtur Gudmundus Andreæ, dum ex poſteriore nominis *Hlodny* ſyllaba, qvæ nil niſi nuda terminatio foeminea, *nympham* exſculpit 4). Bonum autem Gudmundum hic eodem modo in nomine *Hlodny* dormitaſſe miror, qvo in

Her-

Herthæ deæ nomine ELSNERUS, qvod qvia in accuſandi caſu forte poſuerat TACITUS, *Hertham*, qvaſi ERDAMM, *Terram Matrem* interpretatur; qvippe noverat vir eruditus Germanis *Amme*, & apud HESYCHIUM ἄμμα, *nutricem* & *matrem* ſignificare 5). Nimirum agnoſco intemperias etymologicas, qvibus forte abreptus ego *Hlodynam* v. *Hlodnyam* deam a marito *Hlodinn* vel *Hlodur* eodem modo appellari opinor, qvo Latinorum *Hera* dea a marito Jov ſ. Jou, (qvod nomen qvidam *juvenem* notare, alii a JEHOVA ortum autumant), dicta eſt JUNO 6); qvam deam ſi Boreales fuiſſent venerati, a Jove *Jovyn* ſ. *Jovun*, vel *Juny* nuncupaturos fuiſſe non dubito. A *Jovis* autem nomine ſi poëtarum borealium *Jöfur*, rex, deduxeris, tecum facit HESIODUS, qvi qvemadmodum *cantores & citharoedos a Muſis & Apolline*, ita *ex Jove Reges eſſe*, vir Apollinari plenus afflatu docet 7).

1) *Kialar*, unum eſt ex *Odini* nominibus. vid. *Grimnismál*, *ſtr. XLVII.* Ab hoc *Odini* nomine *Terra Odini* conjux *Kiöllun* dicta. vid. §. *XV.* 2) vid. §. XXVII. et XXVIII. 3) vid. lib. §. XXIV. cit. p. 93. 4) vid. libr. & loc. cit. 5) In *Comment. Acad. Berolin.* A. 1747.

6) vid.



6) vid. §. *XII.* *not.* 2. item *La Mythologie &c. par* BANIER. *Paris* 1739. *T. III. pagg.* 288. & 289. nec non *pagg.* 388. & 389.

7) vid. HESIODI *Theog.* v. 96.

§. XXXII.

Nihil qvondam freqventius magisqve celebre fuit, qvam deorum nomina ſive nuda, ſive cum aliis compoſita, hominibus & locis imponere. Ab *Odino* multa locorum et hominum nomina propria fluxiſſe a *Snorrio* 1) & aliis diſcimus. *Thori* nomen non Danis modo & Svecis, ſed maxime Norvegis & Iſlandis olim hodieqve adeo eſt familiare, ut numerari vix qveant inde oriunda & compoſita hominum locorumqve nomina, qvod vel ſolum eorum verbis fidem conciliat, qvi *Thorum* a Norvegis & Iſlandis præcipue cultum ſcribunt 2). Sed nec HLODO v. LODO, qvod *Odini* nomen a qvo HLODYNAM ſ. HLUDANAM deam nuncupatam ſupra jam toties diximus 3), ſuæ inter hominum locorumqve nomina propria reliqviæ deſunt, remotiſſimæ teſtes antiqvitatis, et per plurimas, qvod mireris, gentes late diſperſæ. In lingva priſca boreali viri

viri nomen *Lodinn*, vetus illud *Odini* nomen eddicum totidem literis repræſentat 4). Eodem referas *Lodmundur*, *Hlödvir*, virorum nomina; nec aliunde ſunt *Liotur* et *Liot*, illud viri, hoc foeminæ nomen, nec non *Liotolfur*, latine *Ludolfus* 5). *Lodberg* et *Ludvig* apud Danos hodieqve notiſſima. Apud exteros *Leodgarus*, *Lotharius*, *Luitboldus*, *Luitgardis*, *Luitmarus*, et alia, piget enim ſingula recenſere, inveniuntur. Hæc omnia cum Hludanæ deæ nomine eandem originem agnoſcere, ut, omnibus in gyrum jam actis eodem, unde profecti ſumus, tandem revertamur, *Ampliſſimo* Schütze concedimus 6); ſed ita, ut hæc ipſa nomina non ab Anglo-Saxonum *hloth*, *hlodi*, qvod *turmam* ſ. *cohortem* denotat, ſed ab *ignis* nomine, ipſis Anglo-Saxonibus non ignoto, *hlod* ſ. *lod*, *ignisqve* antiqviſſimo in Septentrione, imo Europa'*numine*, *Hlodinn* et *Hlodur*, qvod phyſice *ignis deum*, mythice *Odinum*, *Hludanæ* ſ. *Hlodynæ* deæ maritum ſignificavit, derivanda putemus 7). Nec diverſi ortus ſunt Francorum regum nomina, *Chlodovæus* et *Clotar*, qvo-

qvorum illud cum eddico *Hlödvir*, hoc cum SAXONIS *Lother*, ſi nomina non viros ſpectaveris, prorſus idem eſt. *H* enim ante qvasdam conſonas in lingvis antiqvis cognatis, nunc prorſus abjici, nunc in *c* et *k* mutari, utpote res creberrimi exempli, in his lingvis vel mediocriter verſatos præterire non poteſt. Latinorum *nodus*, in lingva antiqva boreali *hnutur* et *knutur*, Danis, *Knud*, Germanis *Knote* dicitur. *Globulum* ſive *bullam* priſci boreales *hnappur* et *knappur*, Dani hodieqve *Knap*, Germani *Knoph*, appellant. In hoc autem etymologiarum euripo nolo diutius vel ipſe fluctuari, vel detinere lectorem. Manum igitur de tabula; iſtaqve hactenus de HLODYNÆ ſ. HLUDANÆ deæ *nomine* obſervaſſe ſufficiat.


1) vid. *Heimskr. ed. Hafn. T. I. Ynglinga Saga.* C. *VII.* p. 12.
2) vid. BARTHOLINI *Antiqv. Dan. Lib. II. Cap. V.*
3) vid. §. *XXXI.*
4) LODINN, nomen fuit magnæ dignationis viro, ab ERICO, vulgo *Preſtahatari*, Norvegiæ rege, anno 1280. in Islandiam legato. vid. *Vitam* ARNII *Epiſcopi. Cap. XXXI.*
5) Omnia hæc nomina in antiqvis Islandorum monumentis, tam editis, qvam non editis paſſim inveniuntur. Occurrit nempe *Hlödvir* in *Edda Sæm.* ut et in *Landnama, ed. Skal. p.* 1. In eadem *Landnama* legitur *Lodmun*

mundur pag. 133. & 147. *Liotur p.* 72. & 123. *Liot, p.* 156. *Liotolfur, p.* 57.

6) Hæc nomina propria vid. apud *Celeb.* Schütze. Libr. cit. *Exerc. I. de* Hludana §. *VI.*

7) vox Lodinn, fi pro adjectivo nomine fumitur, *pilofum*, *hirfutum*, & forte *verfutum* fignificat, qvæ ultima vocis notio Danis hodieqve non eft ignota. Crederet qvis *Odinum*, *Lodinn* i. e. pilofum dictum, vel a *Vafritie*, vel eodem modo, qvo Hebræi dæmones שְׂעִירִים i. e. *pilofos*, v. *hirtos* vocarunt, vid. Levit. *Cap. XVII. v.* 7. & Jesaiæ *Cap. XIII. v.* 21. Cujus nominis eam caufam fubjiciunt RR. Kimchi & Maimonides, qvod Satanas præcipue in hirci figura fe foleat hominibus offerre; Unde gentiles inter numina retulere *Ægipanas* f. *Faunos*, qvo Latinorum *Capripedes Panes* & *Satyri* referendi funt. Certe a *Faunorum* falibus, lafcivia & vafritie haud alienus fuit *Odinus*. Etfi vero haud negemcum aliqva veritatis fpecie credi poffe *Odini* nomen Lodinn hanc notionem involvere, mihi tamen magis arridet allata fuperius nominis (*Lodinn*) origo, videturqve decentius princeps Borealium deus a Hlod v. Lod, igne, cujus numen credebatur, qvam ab hirfutia *Lodinn* appellatus; præfertim cum alia occurrant *Odini* nomina, qvæ ignis notionem aperte produnt, e. gr. *Svidrir*, *Bruni*, *Ofnir* & *Báleigur*. Nec in tanta Odinianorum nominum copia, illud liberis indendum toties elegiffe majores credo, qvod tantum *pilos* & *vafritiem* notaret. Accedit, qvod Lodinn & Lodur idem ejusdem Odini nomen effe videantur; Lodur autem *pilofum* f. *callidum* fignificare vix poteft. Easdem ob rationes hominum nomina Liotur & Liot, non *deformem* notare, fed

ab



ab *Odini* nomine LOTER (vid. §. XXX.) f. LODUR desumta esse non dubito.

§. XXXIII.

De HLUDANA vel HLODYNA dea qvæ hucusqve diximus, eam in partem nolim, lector, accipias, qvasi pro certis singula venditare præsumam. *Oedipo* sagacior, et *Lynceo*, vel ipso etiam Borealium *Heimdallo*, cujus aciem centum milliaribus distantia vel in noctis tenebris non fugiunt 1), oculatior sit oportet, qvi in illa fabularum caligine verum semper perspexerit. Mihi satis est, si ea, qvæ ad veritatem proxime accedere visa sunt, afferens, non ubiqve hallucinatus fuerim. Ubi rectiora docebor, non meæ solum opinioni, sed et ipsi HLODYNÆ, qvin et HLUDANÆ, repudium mittam. Non enim valde moror deam decrepitam, qvæ gratiis omnibus dudum jam defecta, ominoso illo, maritoqve et filio olim fatali *Deorum Crepusculo* 2), qvo pereat, vix indigere videtur. Tui igitur, lector, illa sit arbitrii, et, per me licet,

Qvem fabulosæ cunqve voles modum
Ponas Hlodynæ, sive flamma,
Sive mari libet Isorano!

1) vid. *Eddam Snorr. Fab. XXV.*
2) vid. *Eddam Snorr. Fab. XLVIII.*

